quo ultra viginti mortalium millia abſumpta ſunt. Divites in remotis receſſibus ſuæ ſtudebant ſecuritati; pauperes, qui ibi non permanere non poterant, vel fame abſumebantur, vel terra lue exterminabatur, & Mediolanum jam non aliud erat, quam pro mortuis quidem cœmeterium, pro viventibus autem xenodochium. Quod vero magis adhuc miſerum erat; peſtis fulmine afflatis ſpiritualia deerant ſubſidia; mortis metus Paſtores diſperſerat; nemo panem vitæ morientibus, atque ut ita dicam, duplici morte occumbentibus, audebat afferre. *Flechier in S. Caroli Panegyrico.*

Alii bene, alii vero male morbis utuntur.

Morbi in duplici mortalium genere conſiderari poſſunt in iis, qui parum, & in iis, qui multum virtutis habent. Primi illi fere nullum ex morbis fructum recipiunt, infirmam enim habentes animam ubi corpus dolore torquetur, facile in queſtus, & murmur erumpunt, impatientia abripiuntur, dolent, nimis ſollicite curationem, & pharmaca inquirunt, opem, ſolatiumque aliquod optant, quod ſi deſit, jamjam ſpem omnem abjiciunt. Quod ſi quando proximam ſibi mortem intuiti, atque judiciorum Dei metu perterriti novam vivendi rationem ſe ſuſcepturos pollicentur; hæc Dei gratia eſt, quæ aliquibus tantum, nec paſſim confertur: & plerique e morbo recepti bonum vitæ, quam ſibi fere præreptam viderant, ſervare contendunt. Ubi convaluerunt, vita frui volunt, ac illis voluptatibus, quæ in illa percipiuntur; & hoc illud eſt quod modicæ virtutis homines ex morbis ſuis hauriunt. Sed qui Deo prorſus devoti ſunt, longe maximam inde utilitatem percipiunt. Anima corporis deliquium ſentit, pluribus gratiæ affectibus impar. Mortalis ſe quodammodo a Deo ſemotum videt; fides duntaxat nuda ſupereſt, & ad communem chriſtianorum ſtatum redactum ſe videt; nihilque intuetur, in quo confidere valeat, præterquam in Dei miſericordia, & meritis Jeſu Chriſti. Status hic mirum in modum prodeſt animæ expiandæ. Cum ex ſimili ſtatu emergimus, inde cum ſpiritu humiliato, cum corde ab omni ſui ipſius amore, omnibuſque negotiis ſuis expedito egredimur; nihil quæritur præter Deum; nihilque præter mortem cupidius appetitur. *P. Surin tomo 2. Dialogorum ſpiritualium.*

Utilitas morborum quorum curatio pendet a Deo.

Morbis utitur Deus ad nos puniendos, atque a peccatis noſtris expiandos; dici quoque poſſunt remedia, quæ animabus noſtris applicantur vel ad earum ſalutem tuendam, vel ad eam recuperandam, cum ita infelices fuere, ut illius jacturam ſubirent. Quemadmodum unus ille vitam, ſalutemque nobis impertit; ita ab illo utraque expectanda eſt. Curæ, & labores, quos ad id ſuſcipimus, neque effectum, neque utilitatem habent, quam cenſemus, & ſæpe remedia morbos augent, non curant. *Abbas Trappenſis tomo* 1. *Dogmatum Chriſtianorum.*

Quamquam liqueat, rebus in omnibus in Dei manu noſmet collocare oportere, eique tum pro tempore, cum pro æternitate omnem noſtri curam relinquere; attamen rarum eſt ſatis virtutis, & conſtantiæ ſervare, ut ſuperemus faſtidia, mœroreſque, quos mala valetudo gignere poteſt, cum ex illa numquam convaleſcimus, atque ut noſmet præſervemus a multitudine, & nequitia tentationum, quæ a malis languoribuſque ſeparari non poſſunt, cum diutius nos torquent. *Idem.*

Morbi ſunt occaſiones ſatisfaciendi Deo pro peccatis.

Morbi, quos nobis immittit Deus, ſolæ nonnumquam ſunt occaſiones, quas nobis offert, ſatisfaciendi pro peccatis, quæ patravimus, dum bona valetudine perfrueremur; & niſi in ſpiritu pœnitentiæ illos recipimus, nobis inutiles fiunt. Ad hæc illi totidem ſunt fidei, & ſubmiſſionis noſtræ pericula, & niſi illos hoc intuitu recipiamus, labimur in quamdam rebellionis, atque infidelitatis ſpeciem, quæ novæ ſunt cauſæ reprobationis noſtræ; cum e contra ſi hoc ſpiritu morbos receperimus, in ipſa peccatorum noſtrorum pœna invenimus, unde illa expiare valeamus. *Ex moralibus Sermonibus Sermone hujus argumenti.*

In morbis agendum juxta evangelii præcepta.

S. Auguſtini ævo fideles, qui febri laborabant, vel alios dolores ferebant, conſueverant Evangelii librum ſumere, eumque capitibus ſuis, vel parti afflictæ admovere. Conſuetudinem hanc vehementer laudo. Pater hic ait; magis laudaturus, ſi Evangelium cordi veſtro admoveretis. O quot quantaque ibi ſecreta inveniretis, ut ex morbis veſtris fructum uberrimum percipere poſſetis! Inveniretis enim, exercendam eſſe patientiam, voluntati divinæ ſubmiſſionem &c. *Idem.*

Morbus validior eſt ratio, qua utitur Deus ad peccatorem convertendum.

Ad peccatorem convertendum ante omnia opus eſt, flectere obſtinationem voluntatis pertinaciter adhærentis creaturæ, cujus amore illecta eſt, & quam non amare non poteſt. Ad hoc Deus inſpirationibus utitur, luminibus, ſermonibus, monitis, minis, aliiſque ſexcentis, quæ fervens noſtræ ſalutis zelus illi ſuggerit. Cum homo bona corporis valetudine fruitur, hæc omnia remedia non maximum obtinent effectum in ſpiritu ejus; mundus, caro, ſenſuum voluptates adeo vehementes illecebras habent, ut illas contemnere difficile ſit; & quo magis urgetur, eo magis obnititur contra ſalutaria monita, quæ ſibi præbentur. Sed morbus igneus eſt enſis omnia hæc vincula abſcindens. Status infelix, in quo reperitur, manifeſtum eſt argumentum, & ratio practica, quæ illum per ſenſus evincit, & propria experientia terrenarum rerum omnium vanitatem oſtendit. Palam videt, opes contra mortis tela clypeum inutilem eſſe, amicos ſuos nimis infirmos eſſe, ut de illius manu ipſum eripiant; ideoque facilius eſt, quod, cum morbo conficitur, animum ſuum a terrenis rebus evellat. *P. Novet in Meditationibus.*

Ærotantes mortis atque æternitatis reminiſcuntur.

Duo in bene valentibus omnes timoris Dei ſenſus ſuffocare conſueverunt; diutioris vitæ ſpes, atque æternitatis oblivio. Dum valet peccator, mortis cogitatio procul abeſt, vel ſi quando hæc ad illum accedit, nullum efficere impetum poteſt, ille enim mortem remotiſſimam eſſe arbitratur. Hinc fit, ut Dei juſtitia, quæ illum ad hoc terribile momentum præſtolatur, non magis moveat, quam ſi numquam redditurus eſſet rationem operum ſuorum; ſed ubi ſe in lectulo jacentem, infirmum, languentem, viribus exhauſtum, doloribuſque confectum videt; tunc meminit ſe mortalem eſſe, atque prope imminere ſentiens terribilem tranſitum, quem nondum ſatis bene cognoverat, fieri non poteſt, quominus extremo corripiatur pavore, qui eum cogit omnes cogitationes ad illud transferre periculum, in quo eſt, ac ſalutis ſuæ ſecuritati conſulere. Hæc omnium breviſſima via eſt, qua divina miſericordia peccatores ad pœnitentiam adducit, eoſque ad ſe trahit. Improbus ille decem ante hanc diem annos nequaquam pœnitentiam facere inſtituiſſet, niſi Deus periculoſum illi morbum immiſiſſet, qui illum perterruit, & ad officium revocavit. *Idem.*

Dei Filius morbis affligit corpus, ut ſpiritui medeatur.

Medici aliam corporis partem vulnerare conſueverunt, ut aliam curent: brachii venam aperiunt, quod ſanum eſt, ut capiti, quod ægrum eſt, afferant ſolatium; externis partibus ignem admovent, ut interioribus conſulant; vulnus ſcindunt, ut claudant, atque ut S. Hieronymus inquit: *Artis medicorum eſt per dolorem reddere ſanitatem.* Dei Filius, qui Medicus eſt animarum, in peccatoribus curandis eadem methodo inſiſtit; carnem percutit, ut ſpiritui medeatur, & morbus, quæ via eſt ad corporis mortem, egregiam efficit diſpoſitionem ad animæ vitam. *Idem.*

Morbi utilitas, & bona.

Docent Sancti Patres, morbum eſſe chriſtianæ ſapientiæ ſcholam, virtutis elementum; unde ſpiritus novam aſſumit virtutem, & validum gratiæ machinamentum, quod per naturæ infirmitates vires ſuas auget; *Cum infirmor, tunc potens ſum*, S. Paulus 2. *ad Corinth.* 12. Cum infirmus ſum, tunc fortis fio; & numquam magis viget ſpiritus meus, quam cum corpus morbis confectum eſt, ac infirmitatibus attritum. Ad hæc morbus eſt generalis vitiorum omnium clades per victoriam, quam gratia de omnibus animæ affectibus refert, & triumphus eſt animæ de omnibus appetitibus carnis. Tunc qui voluptatibus indulgebat, valetudinem potius, quam voluptates inquirit; avarus non alium habet theſaurum, non opes alias, quibus tentetur, præter ſanitatem; ambitioſus ſe in cubili jacentem videns amittit prima vanitatis conſilia, quibus ſupra nubes efferebatur; helluo ſobrius fit; ut mortem effugiat; invidus invidiam ſuam ad unicum vitæ bonum coarctat, quam proferre conatur; ultionis cupidus inducias init cum furoribus ſuis; corporiſque dolores mentis acrimoniam demulcent. Singulare igitur Dei beneficium eſt, corporis infirmitates nobis immittere, ut affectuum noſtrorum impetum coerceat. *Idem.*

Ægri de Deo cogitant, cujus bene valentes obliviſcuntur.

Donec homo bona fruitur valetudine, fidei veritates ut plurimum exigua habent lumina, quæ cor illius non admodum fovent; morbus vero illum excitat, eique præbet occaſionem de æternitate cogitandi, ac melius vivendi conſilium ſuggerit, ut quod timet, effugiat. Dum valet, mens illius terrenis negotiis ita implicita eſt, ut de orationibus ne cogitet quidem; & cum de orationibus ſermonem habet apud ſæculi hominem, non aliud habet, quod reddat, niſi quod mundi impedimenta nihil ſibi temporis relinquunt, quo illis vacet. Sed cum corporis infirmitate torquetur, tamquam divinæ juſtitiæ captivus, naturaliter quodammodo ad Creatorem ſuum ſe convertit, opem flagitaturus, eique cum David *Pſ.* 6. dicturus: *Miſerere mei, quoniam infirmus ſum. Idem.*

Morbus ſuperbiſſimum quemlibet humiliat.

In perfecta valetudine humilitatis praxis non ita facile

dicitur, præſertim vero cum honor adeſt, & opum affluentia; ſed morbus ſtatus eſt humilitatis, qui magnos æque, ac parvos humiliat. Da mihi hominem potentiſſimum, locupletiſſimumque, cum ægrotat, fit omnium creaturarum mancipium, & veluti terræ vermis; licet Dominus ſit, famulo ſeſe ſubmittere debet; etenim ſine illo ſe movere non poteſt; medicis debet obtemperare, dietas, moleſtaque pharmaca præſcribentibus: temporum mutationibus paret; aeris impreſſionibus cedit; mortis præſentia, atque periculum quam primum ſub illius poteſtate cadendi, efficiunt, ut ille tandem intelligat, ſe hac in re nihil præ mortalium omnium noviſſimo habere; ſe non aliud eſſe, quam pugillum pulveris, ut cæteri; & ingentes hoc vanitatis gigantes, quos fortuna adeo attollit, fictitios habere pedes, ad minimum quemlibet ictum evertendos. *Idem.*

Deus paſſim corporis doloribus punit corporis voluptates.

Acutis fortaſſe, violentiſque doloribus premeris? Eheu! nimium corporis voluptates amas; Deum deliciis læſiſti, ille carnis doloribus te punit; ultioni ſuæ id impendit, quod tu ſceleribus impendiſti; per ſenſus peccaſti, efficit, ut per ſenſus patiaris. At enim languores tui tua negotia, tuamque fortunam evertunt. Quid hæc ſibi volunt verba? Niſi quod ſi bene valeres, æque ac alii mundi hujus vanitates deperires. Quos necteres dolos, ſi illuc corpus tuum geſtare poſſes, quo ambitio tuum ſpiritum rapit? Quot ſcelera, ſi tibi vires eſſent, & bona valetudo? *Idem.*

Æquum eſt morbis luere pœnas ſcelerum, ac pro Deo pati, qui pro nobis paſſus eſt.

Quid æquius eſt, quam cum ſubmiſſione peccatorum noſtrorum pœnas luere, velle, quod vult Deus, par pari referre, pœnas pro pœnis, dolores pro doloribus, cruciatus pro cruciatibus reddere, non quidem ut alii debitores, qui pecuniam ſuam perſolventes omnibus debitis ſolvuntur; etenim quo plura pro Deo patimur, eo plura eidem debemus. Quæ conſolatio poſſet aliquando, & ſæpe etiam ſine morte martyrum gloriæ, & coronæ participes fieri. Hoc non eſt amplius tempus perſecutionum, fateor equidem, ſed tempus eſt patiendi pro Deo, cum ille ipſe morbi alicujus doloribus nos affligit. Non eſt amplius cruentorum præliorum tempus; ſed coronarum, atque ut illas mereamur, ſatis eſt, nos mala noſtra patienter ferre, eaque cum ſubmiſſione ſubire. Aliquone afflictaris morbo? patienter illum ſuſtine, & meritorum Martyrum particeps fies. Jaces in lectulo enervis, infirmus, & expers? Deum lauda, ut olim ſanctus Job, & ecce Martyr ut ille factus es ex S. Chryſoſtomi ſententia, qui illum hoc nomine appellat. *Abbas de S. Martino in Quadrageſima Sermone hujus argumenti.*

Inutiliter ægrotamus, niſi ex corporum infirmitate id recipiamus, unde ſpiritus infirmitati medeamur. Inutiliter alia etiam ad nos ſanctificandos adminicula impenduntur, niſi hoc ſanctificemur; ſi quid enim poteſt nos a mundo divellere, & ſpiritum a corporis ſervitute in libertatem vindicare, morbus ſane eſt; ut enim Salvianus ait, animæ cuſpidem acuit, & prout corporis viribus deſtituitur, ſpiritus vires augentur, atque inſtaurantur, ac dici poteſt ſanus eſſe, qui non ſemper ſanus, & aliquando æger eſt. *Idem.*

Magni eſſemus ſancti, ſi bona utentes valetudine id eſſemus quod cum mala utimur ſumus.

Optandum eſſet, ut in bona valetudine tales eſſemus, quales in mala ſumus, & impoſterum nos futuros pollicemur. Quid enim non recipimus, quod conſilii non capimus, cum aliquod periculum imminet, vel aliquo morbo afflictamur? Tunc, ut plurimum, pulcherrimos ſenſus fovemus; jugiter animum advertimus ad vitæ hujus miſerias, ad mundi vanitatem, ad humanarum rerum caducitatem, ad humanæ mentis cæcitatem. De Deo tantum, de pœnitentia, deque Sacramentis nobis verba fieri cupimus. Nequiſſimus quoque vir bonus eſſe vult, ambitioſiſſimus, & avariſſimus cœleſtia dumtaxat vult cogitare. Omnia vult, omnia promittit: ingens præteritorum dolor, ingens pro facturo conſilium; at ſtatim ac periculum abiit, & valetudo redire incipit, priſtini affectus & vitia paullatim in jura ſua, in eodem ſenſus, eaſdemque actiones redire videntur. *Idem.*

Hominum plerique ſua abutuntur valetudine.

Quomodonam hominum plerique ſua valetudine utuntur? Quot juvenes illam in omnibus ætatis ſuæ voluptatibus impendunt? *Coronemus nos roſis*, ultro citroque ſibimet dicunt, donec tempus habemus. Quomodo utitur mulier, aut virgo mundana, quæ bonam valetudinem in vanitate, molli, ac delicata vita, in ſolatiis, & commerciis quibuſdam, quæ nominare pudet, & quadam licentia, quam probare non audeo, ſolet impendere? Quomodo utitur litteratus vir, qui in legendis, vel conſcribendis pernicioſis voluminibus illam impendit, vel ſaltem in ſua, vel aliena explenda curioſitate? Quomodo utuntur omnes negotioſi homines, qui dies noctefque adlaborant, ut opes ſuas augeant, quin fere numquam, aut ſaltem perraro cogitent de æternitate? *Si ſani ſunt, ſancti non erunt*, quidam Pater ait: *In vacuum laboravi, ſine cauſa, & vane fortitudinem meam conſumpſi.* Iſai. 40. Me miſerum! Nequicquam ergo valetudinem meam amiſi, vires meas exhauſi, ac plurimos pro mundo labores ſuſtinui, quin aliquid pro ſalute mea facerem? Sanitas hæc, quam benignus mihi conceſſerat Deus; vigor, corporis robur, validum temperamentum, felix hæc conſtitutio, ex qua maximos ad æternitatem, & ad beate vivendum fructus percipere poteram, hæc ergo omnia inutilia mihi fuerunt; hæc omnia avaritiæ tantum, & ambitioni, ſolatiis, ac mollis vitæ voluptatibus impenſa ſunt? Heu! accedite dolores, morbi, infirmitates, in me ſimul irruite, ut in me puniatis ejus valetudinis abuſum, quæ in Dei cultu debebat impendi. *Idem.*

Deus nobis morbos immittit, ut a mundo divellat.

Donec voluptatibus deditus perfecta fruitur valetudine, cor ſuum a voluptatibus nequit avellere; ſed Deus ut illum inde revellat, aſſiduum, moleſtumque morbum immittit, qui cum a mundi conſuetudine ſejungat, a negotiis amoveat, eique voluptatum auferat guſtum. Tunc incipit agnoſcere, vitæ hujus deliciis fidendum non eſſe. Tunc impatiens, mali ſui pondere oppreſſus, exclamare incipit, ut olim Antiochus: Eheu! Quo mœroris redactus ſum ego, qui rebus hujus mundi tantopere oblectabar, & qui tot deliciis fruebar: *In quos fluctus triſtitiæ deveni, qui jucundus eram &c.* Machab. 6. *Sermo manuſcriptus.*

Quo difficilius eſt hoc in ſtatu ſeſe divinæ voluntati ſubmittere, eo ardentior eſſe debet amor noſter, ut noſmet eidem conformemus. At quid difficilius, amabo vos, quam ſeſe divinæ Providentiæ mandatis ſubmittere, cum gravis morbus jugiter nos lectulo affigit, omnem nobis cum mundo conſuetudinem interdicit, & natura ſub mali pondere opprimitur? Tunc procul dubio Deum amat, qui cum actione gratiarum ſibi immiſſas recipit infirmitates: ad id enim opus eſt, ut homo non agat amplius ut homo, ſed tamquam fidelis Dei patientis imago. Opus eſt, ut amor illius ſit conſtans, heroicus, purus, ac integer. Ut verbo me expediam, hinc intelligitur, utrum ſuus erga Deum amor ſit verus; ibi plurimi, qui ſe penitus Deo adhærere arbitrabantur, agnovere amorem ſuum languidum eſſe, infirmumque; ſed cum alicujus amor ſenſibilis hujus tribulationis igne mundatus eſt, tunc iſte affirmare poteſt cum Apoſtolo, futurum ut nulla re a Jeſu Chriſti charitate poſſit dimoveri. *Idem.*

Ex omnibus vitæ hujus malis morbi ſunt magis ſenſibiles.

In morbis proprie cum S. Auguſtino Deo dicere poſſumus; *Ne elongeris a me, quoniam tribulatio proxima eſt.* Pſalm. 70. Donec bona noſtra nobis eripiuntur, S. hic Doctor ait; donec exiſtimatio noſtra injuriis, & contumeliis proſcinditur; donec perſequentium nos odia in eo immorantur, ut nos patrio ſolo exules, extorreſque ejiciant; adhuc abeſt a nobis tribulatio: etenim facile eſt, fortunæ bona contemnere, hominum exiſtimationem, famamque negligere, & in exilio ſolatium aliquod invenire. Cum autem morbus corpora noſtra affligit, tribulatio proxima eſt; nos enim ubique ſequitur, neque fieri poteſt, ut quæ intra nos fiunt, non ſentiamus. Ita videmus, Dæmonem, poſtquam abſtuliſſet Job filios, & bona, nondum putaſſe, illum ſatis afflixiſſe, niſi ulceribus corpus ejuſdem dilaniaſſet, & graviſſimis illud doloribus affeciſſet. *Liber, cui titulus: Conſiderationes in varia moralis, & Religionis argumenta.*

MORS.

De Morte generatim; cogitatio mortis; certitudo mortis; incertitudo quo tempore, & in quo ſtatu morituri ſimus; ſtatus ad quem morte redigimur &c.

MONITUM.

ARgumentum hoc adeo amplum eſt, atque tot, tamque varii de morte Sermones fieri poſſunt, ut ad unum titulum cum redigi nequeant ea, quæ hac de re dici poſſunt, haud abs re futurum cenſui duplici titulo de eodem loqui argumento, in quorum altero ea colligerem omnia, quæ ad mortem generatim pertinent, videlicet ejus neceſſitatem, incertitudinem temporis, quo ventura eſt, genus, rationem, metum, quem naturaliter concipere debemus, bona, quibus nos exuit, immutationem, quam parit in ideis, cogitationibus, negotiis, perſoniſque noſtris, & denique ſtatum, ad quem redigit corpora noſtra in ſepulcro; in altero vero quidquid notæ melioris auctores de bona, malaque morte dixerunt, de cogitatione, memoria, & oblivione mortis; de præparatione extremo huic fatalique momento, ex quo beata, vel calamitoſa pendet æternitas, afferenda.

Animadvertendum autem, quamvis priori hoc in titulo de morte generatim loquamur, videlicet de eo, quod omnibus hominibus accidere poteſt; attamen nos nequaquam Philoſophorum more, ac theoretice tantum locuturos, ſed uti concionatorem decet, non ſine ethicis animadverſionibus ad Chriſtianos auditores erudiendos, & ædificandos idoneis.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus argumenti ſtructuræ.

I. COncionis hujus argumentum eſt oſtendere, mortem nobis errorem auferre, & vitæ hujus illuſiones, quæ tres potiſſimum ſunt, corrigere. Prima eſt vita ipſa, quam numquam deſituram putamus, chimæricam nobis fingentes æternitatem; ſed mors docet ſerius, ocyus eſſe moriendum. Altera eſt de hujus vitæ bonis, quibus hæremus, & mors nos docet ea nihilum eſſe, & licet alicujus eſſent momenti, ea aliquando eſſe relinquenda. Tertia illuſio noſmet ipſos reſpicit; aliquid nos eſſe arbitramur; quid vero ſimus, mors ipſa docet.

Harum illuſionum prima ad ipſam pertinet vitam. Non poſſumus quidem nobiſmet perſuadere, nos numquam morituros; fides, ratio, experientia palam contrarium evincunt, ſed mortem arcemus quantum poſſumus; credimus nos hoc die, hac hebdomada, hoc anno non morituros, atque ita aliquam nobis fingimus ſpeciem æternitatis. Sed mortis cogitatio diſſipare debet hanc illuſionem, erroremque: mors enim in ſingula momenta nos poteſt deprehendere; nihil incertius eſt hora, & genere mortis; exemplum plurimorum, quos inopina aggreditur mors, nos admonet, nobis quoque idem accidere poſſe; & demum ipſa nos veritas docet, quotidie paratos eſſe oportere, quia neſcimus, quandonam dies Domini adveniet. Oſtendere etiam poſſumus nemini minus ſperandam eſſe vitæ diuturnitatem, quam illis, qui eam inter flagitia traducunt, & a mortis cogitatione magis abhorrent. Hinc autem plures, eæque egregiæ hauriri poſſunt illationes, ex. gr. quo magis mortis cogitationem differemus, eo magis bene moriendo imparatos nos fore: nos totum vitæ ſpatium in jugi illuſione traducturos, quæ nonniſi in ipſa morte diſſipabitur; vitæ præſentis illecebras nobis ablaturas felicitatem, quam Deus in altera præparaverat; noſque oblitos mundum hunc ſedem noſtram non eſſe nequaquam de æterna in cœlis nobis comparanda cogitaturos.

Altera illuſio illa eſt, quam hujus mundi bona gignunt. Et ſane ſi mundum ſpectemus ex hac ſpecie, quæ extrinſecus nitet, plures habet illecebras, quæ nos fallere quam maxime poſſunt: exterior hic fulgor, qui nos circumdat; potentia hæc, quæ efficit, ut totus mundus noſtris voluntatibus cedat, honor qui nobis adhibetur, opes, quæ poſſidentur, voluptates, quibus perfruimur; hæc nos faſcinant omnia, & ita ſeducunt, ut pauciſſimi illis ſe capi non ſinant; ſed ratio ſe præmuniendi contra generalem hanc illuſionem, hoc eſt, lumina videlicet, ac veritas ex morte mutuari. Interroga ambitioſum illum, qui per fas, & nefas ad ſummum dignitatum apicem evaſit, quid jam moriturus ſentiat de his honoribus, ad quos per tot labores aſcendit, deque ampliſſimo gradu, pro quo exercendo tot ſeſe curis exercuit. Heu! Hæc omnia evaneſcunt, cum coram Deo prodeundum eſt. Quo habet in pretio divitias, quæ ipſum ex morte eripere nequeunt, & quibus in altera vita uti non poteſt? In morte agnoſcere incipit cæcitatem ſuam, & errorem abjicere; adhuc nimis felix, niſi hæc illuſio deteriores haberet effectus.

Tertia illuſio eſt ipſius hominis in hac vita, cum ſeſe metitus ex ſpecie externa, fortunæ ſuæ nitore, genere, vel aliis, quibus emicat, qualitatibus, aliquid ſe eſſe arbitratur. Hæc autem illuſio, vel potius calumnia, mortis cogitatione eſt diſſipanda. Primo enim ſeparabitur homo ab hoc luxu, hac pompa, rebuſque omnibus, quibus circumſeptus eſt, atque tunc ſe nudum, ac prorſus ſolum reperiet. Proh Deus! quæ mutatio! cum rebus omnibus ſpoliabitur, & ex iis, quæ poſſidebat, nihil illi reliquum erit, quam ſudarium, ſandapila, & quinque, vel ſex terræ pedes. 2. Vita, motuque privabitur; oculos æterna obruet nox; claudetur os, non ultra aperiendum; lingua diſerta adeo, ut cætuum omnium eſſet deliciæ, obmuteſcet. 3. Corpus fiet pabulum vermium, & horroris ſpectaculum; quippe tabo diffluens adeo horridum erit, ut ne intueri quidem illud quiſquam audeat. Ad hæc quid fiet de calliditate, ingenii celeritate, ſcientia, mente quibuslibet graviſſimis negotiis pari, de acumine, reliquiſque rebus, quæ cor hominis inflant, & facit, ut ſe ſupra cæteros poſitum putet! Si mortis cogitatio altius menti illius eſſet impreſſa, nonne aliter de ſeipſo ſentiret? &c.

In morte aliquid certum eſt, incertum aliquid, & aliquid certum ſimul, & incertum. Certum eſt, nos certiſſime morituros. Incertum quo loco, quo tempore, quo pacto ſimus morituri. Certum ſimul & incertum eſt, quo in ſtatu nos mors ipſa reperiet. Ex tribus hiſce veritatibus, quæ concionis partitionem efficient, eruere poſſumus ſalutares illationes, & documenta.

1. Moriemur; hoc certum eſt; nihil eſt, quod minus in dubium poſſit revocari. Patriarchæ, qui pluribus vixere ſæculis, tandem fato functi ſunt; Reges, ac potentiſſimi Imperatores poſtquam tot populis leges irrogarunt, legi huic paruerunt; homines robuſtiſſimi, optimeque valentes mortem evitare non valuerunt: nos ergo, ut illi, moriemur; verum quid hoc rei eſt, moriemur? Videlicet, corpus noſtrum in tumulo condetur, vermibus abſumetur, in pulverem redigetur; anima vero in innotam migrabit regionem, & coram Deo judice apparebit &c. Quid iſtic animadvertere poſſumus? Impii, & flagitioſi homines hanc inde eliciunt illationem, quam refert Scriptura Sap. 2. *Venite, fruamur bonis, quæ ſunt, & utamur creatura, &c.* Philoſophi, & qui ſe ſpiritus fortes jactant, non aliud hinc inferunt, niſi conſtanti animo mortem eſſe ſubeundam, ac, ſi fieri poteſt, in poſteritatis memoria vivendum. Chriſtianus vero hinc debet arguere, quod ſeſe bene moriendo præparare debet; quia deinde nullum afferri poterit remedium iis, qui eo temporis puncto acciderint, defectibus; in anteceſſum debet mori, a terrenis rebus divelli, & id facere, quod tunc ſe feciſſe deſideraſſet. 2. In morte vero incertum eſt, quo tempore, quo loco nobis moriendum: unde inferendum eſt, debere quemlibet ſe ipſum contra mortis inſidias præmunire, quia re ipſa hominum plerique ejuſdem inſidiis deprehenſi fuerunt. Sexcenti in vita caſus accidunt; vitia & libidines noſtræ ſubitas ſæpe, præcoceſque mortes gignunt; idque in criminum, ac negligentiæ noſtræ pœnam Deus ſæpe permittit. Oportet igitur ſemper eſſe paratos. 3. In morte demum certum ſimul, & incertum eſt, quod neſcimus quonam in ſtatu morituri erimus, & nihilominus liquido conſtat nos eo in ſtatu æternum eſſe permanſuros. Quam horribile eſt malo in ſtatu ad plures concedere! Quam deſiderabile bene mori! Neſcimus, utrum perſeverantiæ donum habituri ſimus, & ſcimus futurum, ut in nullam reditus ſpem intereamus, niſi illud fuerimus aſſecuti. Utamur ergo iis, quæ ad bene moriendum habemus, adminiculis.

III. Quemadmodum peccatum eſt cauſa mortis, ut Apoſtolus inquit, & hanc peccatores in juſtam ſcelerum pœnam promeruerunt, uti Sapiens docet; ita ex S. Auguſtini ſententia, mors reciproce eſt remedium peccati, atque perturbationis, quam in omnibus humanis facultatibus peccatum peperit.

1. Intellectus hominis inordinatus eſt per errorem, falſamque bonorum mundi hujus ideam, quam auferre una poteſt mortis cogitatio, oſtendens illi vanitatem, mobilitatem, & nihilum earum rerum omnium, quas plurimi in mundo facimus. 2. Voluntas inordinata eſt propter ſtudium, quo licet invita, rapitur erga bona ſenſibilia; & una mors eſt, quæ cogitantes omnia hæc vi ejuſdem eſſe abripienda, divellere poſſit ab eorum affectu; & prohibere, ne iis adhæreſcant, quæ ſerius, ocyus erunt neceſſario relinquenda. 3. Appetitus ejus longe adhuc inordinatior eſt propter imbecillitatem, qua reſiſtit malo, & rebellionem contra rationem, quæ cauſa eſt, quod voluntas Creatorum objectorum illecebris decepta contra Dei mandata deficiat. Quis autem vehementius, qui tutius reprimere, & coercere poteſt violentos appetituum noſtrorum motus, quam mors, & metus eorum, quæ mortem ſubſecutura ſunt, quemadmodum S. Auguſtinus *Lib. de Doctrina Chriſtiana* teſtatur: *Timor de futura morte mentem neceſſario concutit, & quaſi clavus, omnes motus ſuperbiæ ligno crucis affigit.*

IV. Tota hominum vita, vel dicam melius, quidquid in vita noſtra & ratione, & fide perfici poteſt, ad tria referri mihi videtur, ad affectiones, deliberationes, actiones: videlicet in vitæ noſtræ curſu affectiones noſtras regendas eſſe, deliberationes capiendas, & officia adimplenda; quibus omnibus unicam mortis cogitationem ſufficere contendo; hæc enim 1. præſentiſſimum remedium eſt ad affectuum noſtrorum ignem extinguendum; 2. certiſſima regula eſt in deliberationibus ad tutiſſimum conſilium amplectendum: 3. validiſſima ratio eſt ad ſanctum fervorem actionibus noſtris inſpirandum. *Hoc eſt P. Bourdalove argumentum Sermone 1. Quadrageſimæ de mortis cogitatione.*

V. De metu mortis.

1. Nihil terribilius eſt ſtatu eorum, qui mortem metuunt ex quodam atheiſmi, & infidelitatis principio. 2. Nihil crudelius eſt ſtatu eorum, qui mortem timent, quia ſuis voluptatibus adhæreſcunt. 3. Nihil a Chriſtianiſmo alienum magis eſt, quam mortem timere, & non habere ordinatum ejus timorem. *Idem.*

VI. Tria in morte conſideranda ſunt. Mors inevitabilis eſt, incerta eſt; & ubi ſemel venerit, non licet amplius reverti, ut novam vitæ rationem inſtituamus. Ex triplici hoc principio tria ſunt inferenda.

1. Sæpe inevitabilem eſſe mortem cogitemus, ac inde arguemus, quotidie eidem noſmet præparare oportere: hæc pars prima eſt. 2. Sæpe cogitemus horam mortis incertam, & inferemus, nos ubique, & ſemper paratos eſſe debere: hæc altera pars eſt. 3. Sæpe cogitemus, mortis exitum irreparabilem eſſe, & argumentabimur, nullam ſatis eſſe poſſe diligentiam, ut nos bene eidem præparemus: hæc tertia. *P. Girouſt Sermone pro feria quarta Cinerum.*

VII. Tria potiſſimum ſunt, propter quæ chriſtiano viro mors eſt metuenda; quem tamen metum frequens mortis cogitatio aufert.

Primum eſt peccatum, quod ex Apoſtolo mortis ſtimulus eſt; videlicet, uti explicant nonnulli, cuſpis, quæ nobis dolorem adfert, efficitque, ut juſtum peccati ſupplicium timeamus; ſed mortis cogitatio efficiens, ut ſincera pœnitentia peccatum deleamus, efficit, ut minus illam metuamus, ubi ſemel, ut ita dicam, illi arma fuerunt ademta.

Alterum eſt mundi amor, quo eidem hæremus. Sed mortis cogitatio vincula infringit, quibus obſtringimur, efficitque, ut lubentes, ac ultro id faciamus, quod aliquando faciendum eſſet invitis.

Tertium eſt judicium Dei, ad quod poſt mortem accedendum eſt; verum illud cogitare poſſumus, quin rationes noſtras in promptu habeamus, quin extremum illud momentum vereamur.

Duo magna ſunt ſtuporis argumenta in ea ratione, VIII.
qua ſeſe gerunt chriſtiani in iis, quæ ad mortem pertinent; & ex illis ſermonis partitio effici poteſt.

1. Mortem timemus, & profecto juſtam habemus cauſam timendi eo modo viventes, quo plerique vivimus; attamen nihil movemus, ut noſmet contra ea, quibus mors adeo terribilis efficitur, præmuniamus. 2. Neſcimus, & ſcire nequimus; quænam futura ſit noſtra mors, malane, an bona: quod quidem terribilis momenti eſt propter æternitatem, neque adnitimur, ut hanc mortem, quæ ſemel ventura eſt, virtutum, operumque bonorum exercitatione ſanctam, beatamque faciamus.

1. Nulla vitæ momenta melius impenduntur, quam IX.
ea, quibus mortem cogitamus, propter bona, ac utilitates, quas nobis hæc adfert cogitatio cum pro hac, tum pro altera vita. 2. Nulli ſunt magis fallaces, futiles, ineptique prætextus iis, qui prohibent, ne mortem cogitemus.

1. Moriendum eſt, hæc inevitabilis eſt neceſſitas. X.
Inſanum igitur eſt terrenis rebus nobiſcum perituris adhærere, ac in illis felicitatem noſtram ſtatuere, quia nonniſi infelices aliquando, & in hac etiam fortaſſe vita nos efficere poſſunt. 2. Quamprimum moriendum eſt; & fortaſſe citius quam exiſtimemus. Maturato igitur cogitandum, ut bene moriamur, & toto niſu contendendum, ut aliquid pro æternitate acquiramus, quia poſt vitam hanc nullum erit amplius tempus merendi, pœnitentiam agendi, & bona opera efficiendi.

De bonis, quæ nobis mortis memoria procurat.

1. Divellit nos a terrenarum rerum affectu, efficit- XI.
que, ut quodammodo in anteceſſum moriamur, redigens nos in eum ſtatum, in quo morientes futuri erimus. 2. Facit, ut cœleſtia cogitemus bona, & ad æternam anhelemus beatitudinem, pro qua creati ſumus. 3. Nos cogit in hac vita facere, quod feciſſe vellemus, cum morti proximi erimus.

De oblivione mortis, in qua plerique hominum XII.
vivunt.

1. Mortem non cogitare, ſignum manifeſtum eſt, quod flagitioſe vivitur; patent argumenta ex Scripturis, ratione, & experientia deprompta: 2. Mortem non cogitare funeſtum eſt omen, ſed validis conjecturis innixum, mortem adfore, antequam de illa fuerit cogitatum.

De eadem mortis oblivione.

1. Plerique hominum, etiam chriſtianorum, non co- XIII.
gitant mortem, quia non intelligunt, quam terribilia ea ſint, quæ illam ſunt conſecutura. 2. Plerique eorum, qui mortem cogitant, nequaquam, ut chriſtianos decet, de eadem cogitant; ſed alii quidem Philoſophorum more, prætenſa neſcio qua ſpiritus fortitudine; alii more politicorum, ut ſuis conſulant negotiis, & ne poſt mortem aliquid relinquant, quod ipſorum memoriæ objici poſſit propter familiæ ſuæ tumultum, atque diſcordiam.

De frequenti mortis cogitatione.

1. Frequens mortis cogitatio aliquid habet, quod XIV.
omnem virtutis lenit amaritudinem. 2. Mortis cogitatio efficit, ut omnes pœnitentiæ auſteritates amplectamur, omneſque chriſtianæ vitæ labores. 3. Mortis cogitatio validiſſimas catenas peccati, omneſque noxios nexus infringit. *Ex Specimine Sermonem pro Dominicis. Tomo 2.*

Mors vitæ finis eſt, & principium æternitatis; ideo- XV.
que per duos hoſce terminos eſt conſideranda.

Primo, ſecundum terminum in quo ſumus, nos rebus omnibus exuit; ideo in anteceſſum illis integre, alacriterque nos exuere debemus, quia mors diu differre non poteſt.

Secundo, mors eſt initium æternitatis; atque cogitandum eſt, ab hoc momento totam pendere æternitatem; finalem perſeverantiam huic momento adhærere, & denique poſt mortem hanc nullum eſſe amplius reditum ad vitam, ideoque nec ad pœnitentiam.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas Concionum ſtructuras exornandas.

SAnctus Auguſtinus *Serm. 107. Recentium in tract. 43. in S. Joannem* docet mortem omnibus Chriſtianis eſſe contemnendam. Sancti Patres.

Idem

Idem *lib. de verâ Religione c. 7.* oſtendit Deum mortis auctorem non eſſe, ſed vitæ.

Idem *l. de Vanitate ſæculi* deſcribit divites, beatoſque ſæculi in ſepulcro jacentes, inque pulverem redactos.

Idem duplicem edidit ſermonem *de Conſolatione mortuorum*, ubi cauſas adfert, propter quas in agnatorum morte conſolari debeamus.

Idem *in Pſ. 30.* oſtendit hominis vitam certo temporis ſpatio circumſcriptam non poſſe eſſe diuturnam, quod ipſum argumentum tractat etiam in Pſ. 87. hunc explicans locum: *Mille anni ante oculos tuos, tamquam dies heſterna, quæ præteriit.*

Idem *in Pſ.* 53. quærit quid proſint pompa, divitiæ, & luxus homini in ſepulcro jacenti.

Idem *Serm. 21. de verbis Domini* oſtendit quantum certa mors eſt, tantum incertam eſſe pro tempore, hora, modo.

Idem *Serm. 141. de Temp.* docet peccatum unicam eſſe mortis cauſam.

Idem *Serm. 21. Recentium* fuſius agit de neceſſitate aliquando moriendi, licet omnes contra mortem præcautiones adhibeamus.

Idem *lib. 13. c. 4. de Civit. Dei* reddit rationem, cur morti ſumus obnoxii, quæ peccati pœna eſt, poſtquam per Baptiſmum a peccato liberati ſumus.

Idem *Epiſt. 45. ad Armant.* docet mortis metum eſſe naturalem, omnibuſque hominibus communem.

Idem, vel Auctor ſermonum *ad Fratres in Eremo.* Serm. 48. 62. & 66. de morte loquitur, & potiſſimum de eo, quod in morte ab omnibus creaturis generatim relinquimur.

S. Ambroſius librum edidit *de bono mortis*, ubi agit de bonis, quæ mors affert, & malis, quæ aufert.

Idem *l. 2. de vocat. Gent. c. 8. & lib. 3. Hexam. c. 7.* oſtendit nemini jus eſſe de vitæ brevitate querendi, neque de immatura, ac præcipiti nonnullorum morte, poſt peccatum.

Idem *l. 2. de Cain, & Abel c. 11.* ex morte Abel occaſionem ſumit oſtendendi vitam hanc ſexcentis caſibus, & periculis obnoxiam eſſe, & neminem ne uno quidem die certum eſſe.

Idem in funebri oratione in obitum Valeriani Imperatoris, ac in duabus, quas in Satyri fratris ſui mortem conſcripſit, plurima habet egregia de morte.

S. Gregorius *l. 24. moral.* loquitur de metu mortis, & quomodo ſit metuenda.

Idem *lib. 4. Dialogorum cap. 46. & 47.* oſtendit metum hunc pluribus eſſe ſalutarem.

S. Hieronymus *Epiſt. 21. ad Paulinum* docet vitæ brevitatem unam eſſe ex pœnis peccati.

Idem *Epiſt. ad Heliodorum* docet, quomodo in conſanguineorum, & amicorum morte gerere noſmet debeamus; quod ipſum tradit *Epiſt. 25. ad Paulum.*

Idem in *Epiſt. ad Tyraſium* illum de filiæ morte conſolatus præclaras habet ſententias.

S. Chryſoſtomus *Homil. 61. in Joann.* eos vituperat, qui immodicis proſequuntur lacrymis mortuos, & qui nullam admittunt conſolationem propter cognatorum, & amicorum jacturam, quaſi poſt hanc non ſupereſſet altera vita. Quod argumentum latius tractat etiam *Homil. 22. in Acta, & homil. 4. in Epiſt. ad Hebr.*

Idem *Serm. 1. ex 25. variis* auditores ſuos ad ſepulcra mortuorum invitat; ut ibi videant, quo poſt mortem humana redeat magnitudo.

Idem *Epiſt. 6. ad Theodorum Monachum* oſtendit vitam hanc ſimilem eſſe theatrorum ſcenis, ubi omnes poſtquam varias luſere perſonas, æquales ſunt, & in morte non diſtinguuntur.

Sanctus Baſilius in libro, cui titulus, *Admonitio ad filium Spiritualem*, docet non expectandum eſſe tempus ſenectutis: ut tunc de morte cogitetur; ſed illam cogitationi ſemper præſentem eſſe debere.

Origenes *lib. 3. in Job* hæc explicans verba, c. 3. *Pereat dies in qua natus ſum*, oſtendit, quam præferenda ſit mors vitæ propter miſerias, quibus plena eſt, & pericula, quibus eſt obnoxia.

Dionyſius Carthuſianus de quatuor noviſſimis.

Petrus Caniſius }
Gabriel Inchinus } *De quatuor noviſſimis.*
Guillelmus Stanihurtus }

Drexellius in libro, cui titulus, *Prodromus mortis*, tractat de iis omnibus, quæ de morte dici poſſunt.

Aſcetici aliique.

Dandinus *in Ethicis* amplum edidit tractatum de morte generatim.

Granatenſis in Duce peccatorum cap. 7. loquitur de mortis neceſſitate, certitudine, incertitudine &c.

Idem in ſecundo tractatu de Oratione fuſius verba facit de conſideratione malorum vitæ hujus, deque eorum extremo, videlicet morte.

Idem tractatu eodem loquitur de fructibus, qui ex mortis meditatione poſſunt hauriri.

P. Antonius a S. Martino Sarmelita, in altera parte ejus libri, qui inſcribitur: *Conduite de la Grace*, agit de morte, quatenus peccati originalis pœna.

Liber, cui titulus *Eſſais de morale* volumine 4. de quatuor finibus hominum.

P. Nepveu in Chriſtianis Conſiderationibus tomo 3. pag. 16. & 182. loquitur de morte generatim.

Idem tomo 1. loquitur de neceſſitate mortis *pag.* 153. de mortis cogitatione *pag.* 296. & de cogitationis hujus utilitate *pag.* 24.

Madame de Bellefont in operibus ſuis duos habet tractatus; alterum de mortis deſiderio, alterum de metu mortis.

Infiniti propemodum alii ſunt libri, qui hoc pertractarunt argumentum, quos recenſere immenſi operis eſſet.

Concionatores recentes.

Reina *Conc. 25. fort. 5. poſt Domin. 4. Quadrag.*

Mathias Faber. *in Concionibus funebribus, & in Conc. de quatuor Domin. Advent.*

Molinier Sermone pro feria quinta poſt quartam Quadrageſimæ Dominicam.

P. Delingendes ſex habet deinceps ſermones de iis, quæ in morte, & poſt mortem accidunt.

P. Girouſt in prima Quadrageſimæ Concione.

P. Texier Sermone primo Quadrageſimæ.

Idem Sermone pro feria quinta hebdomadæ quartæ in quadrageſima, & pro decimaquinta poſt Pentecoſten Dominica.

Biroat Sermone pro die Cinerum.

De la Volpilliere, Fromentieres, Abbas de S. Martino Conciones habent hujus argumenti.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta, Sermone pro feria quinta poſt quartam Quadrageſimæ Dominicam.

Qui collectanea ediderunt.

Granatenſis in locis communibus.

Mangorii monita.

Buſæus in Panario, titulo mortis metus.

Drexellus in Prodromo Mortis.

Dandinus in Ethicis ſacris.

Labatha }
Lohner } *Titulo Mors.*

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

Pulvis es, & in pulverem reverteris. Gen. 3.

En ego hodie ingredior viam univerſæ terræ Joſue 23.

Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Jobi 14.

Dies mei breviabuntur, & ſolum mihi ſupereſt ſepulchrum. Jobi 17.

Ipſe ad ſepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit. Job. 21.

Putredini dixi, pater meus es: mater mea, & ſoror mea mea, vermibus. Jobi 17.

Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis, qui quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra, & numquam in eodem ſtatu permanet. Jobi 14.

Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc. Jobi 1.

Quis eſt homo, qui vivet, & non videbit mortem? Pſalm. 88.

Breves dies hominis ſunt, numerus menſium ejus apud te eſt: conſtituiſti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. Jobi 14.

Ibit homo in domum æternitatis ſuæ. Eccle. 12.

Non eſt in hominis poteſtate prohibere ſpiritum, nec habet poteſtatem in die mortis. Eccle. 8.

Oblivioni tradita eſt memoria eorum. Ibid. c. 9.

Nemo eſt qui ſemper vivat, & qui hujus rei habeat fiduciam. Eccle. 9.

Umbræ tranſitus eſt tempus noſtrum, & non eſt reverſio finis noſtri. Sap. 2.

Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur. 2. Reg. c. 14.

Unus introitus eſt omnibus ad vitam, & ſimilis exitus. Sap. 7.

Dies mei ſicut umbra declinaverunt, & ego ſicut fœnum arui. Pſalm. 101.

A muliere initium factum eſt peccati, & per illam omnes morimur. Eccli. 25.

Neſcit homo finem ſuum: ſed ſicut piſces capiuntur hamo, & ſicut aves laqueo comprehenduntur, ſic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo ſupervenerit. Eccle. 9.

Cum

Cum morietur homo, hæreditabit ſerpentes, & beſtias, & vermes. Eccli. 10.

Eſt qui locupletatur parce agendo, & neſcit quod tempus prætereat, & mors appropinquet, & relinquat omnia aliis, & morietur. Eccli. 11.

Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Iſaiæ 14.

A verbis viri peccatoris ne timueritis: quia gloria ejus ſtercus & vermis eſt: hodie extollitur, & cras non invenietur; quia converſus eſt in terram ſuam, & cogitatio ejus periit. Machab. 2.

Vigilate, quia neſcitis diem, neque horam. Matth. 25.

Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit. Ad Rom. 5.

Dies Domini, ſicut fur in nocte, ita veniet. 1. ad Theſſal. 5.

Ego enim jam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat. 2. ad Timoth. 4.

Stipendia peccati mors. Ad Rom. 4.

Statutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium. Ad Hebr. 9.

Certus ſum quod velox eſt depoſitio tabernaculi mei. 2. Petri 1.

Stimulus mortis peccatum eſt. 1. ad Corinth. c. 15.

Melius eſt ire ad domum luctus, quam ad domum convivii: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat quid futurum ſit. Eccle. 7.

Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum . . . . Impii autem manibus & verbis accerſierunt illam. Sap. 1.

Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis, & dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita. Eccle. 11.

Memor eſto quoniam mors non tardat. Eccli. 14.

Cum dixerint pax, & ſecuritas: tunc repentinus eis ſuperveniet interitus. 1. ad Theſſal. 5.

Noli eſſe ſtultus, ne moriaris in tempore non tuo. Eccle. 7.

Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia; utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent. Deuteron. 32.

In omnibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis. Eccli. 7.

Exempla ex Veteri, Novoque Teſtamento deſumpta.

Adæ peccatum cauſa mortis omnium hominum.

Primus hominum, quem creaverat Deus, ut omnium caput eſſet & pater, pulcherrimum erat opus manuum Dei, omnibus virtutibus præditum, omnibuſque pulcherrimis ornatum dotibus, quibus omnibus numeris abſolutiſſimum efficiebatur. Sed heu! homo iſte adeo ſapiens, ſanctus, felix felicitatem ſuam agnoſcere, & eadem, uti debebat, frui neſcivit. Dæmon, qui nuper loco exciderat per ſuperbiam, conſtituit illum in ſuæ calamitatis partem pertrahere; quod ut ſibi e voto contingeret, opus eſſe intellexit illum in criminis ſocietatem perducere. Ideo ſerpentis formam inducens ſeſe ad mulierem convertit eam ſollicitaturus, ut vetito fructu veſceretur. Reſpondit illa, ſibi quidem a Deo copiam factam fuiſſe reliquorum fructuum, qui in amœniſſimo horto illo inveniebantur; at mortis pœna propoſita ſibi fuiſſe interdictum, ne fructum illum auderet attingere. Haud ita, ſeductor illi, haud ita; non moriemini; ſed novit Deus; futurum ſtatim ac ex eo comederitis fructu, ut oculi veſtri aperiantur, ac Deo ſimiles efficiamini. Non ſenſit mulier latentem ſub ſpecioſis hiſce verbis dolum, & capta voluptate novæ amplitudinis, cum funeſtum guſtaſſet pomum, ex eodem obtulit viro guſtandum, qui ut uxori placeret, atque ut leviſſimum illud jugum obedientiæ, quam Domino, & Creatori debebat, excuteret, ex eodem comedit. Verum in hujus inobedientiæ pœnam ſtatim ex Dei ipſius ore ſeveriſſimam hanc audiit ſententiam; *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Exinde ſenſit ille effectus minarum Dei. Cum enim eſſet immortalis non ex conditione eſſentiæ ſuæ; ſed ex peculiari Creatoris ſui beneficio, mors in illum cœpit exercere ſuum jus, ac imperium; & S. Auguſtinus animadvertit, pomum, quod deglutivit, fuiſſe tamquam ſemen mortis, quod ille accepit, omnibuſque poſteris ſuis communicavit. Hac, ſacer textus ait, mors ingreſſa eſt in mundum, tamquam pœna, & juſtum peccati ſupplicium.

Cum nullus hominum ab hac lege communi fuerit immunis, non morabor iſtic afferens eorum omnium exempla, quorum ſancta, vel infelix mors in ſacris Bibliis narratur: quod infiniti laboris eſſet, ſed eos referam dumtaxat obitus, quibus aliquid ineſt ſingulare, ac pro aliis ſatis eſſe puto dicere, Scripturam, quæ tanta diligentia recenſuit numerum annorum veterum Patriarcharum, qui plura vixere ſæcula, ſemper poſt uniuſcujuſque vitæ finem addidiſſe, *& mortuus eſt*; ne quis illos mortis tela evitaſſe arbitraretur.

Quid acciderit S. Paulo concionanti.

Noſtis, quod in Actis Apoſtolorum ſcriptum eſt, S. Paulo Troade concionante, juvenem quemdam ex numero auditorum ejus de tertia contabulatione cecidiſſe; illuc enim aſcenderat Apoſtolum auditurus, ad cujus conciones ingens populi multitudo confluebat. Mortuus hic adoleſcens ad Paulum defertur, qui caſum miratus obticuit, ac ſermoni finem impoſuit, quin ultra adderet verbum. Myſtici hujus ſilentii cauſam adfert D. Chryſoſtomus dicens, caſum adeo funeſtum concionatoris locum obtinuiſſe. S. Pauli eloquentia talis erat profecto, ut Sanctus Auguſtinus inter ea quæ maxime optabat, concupiſceret magnum hunc divini Evangelii præconem concionantem audire. Nihilominus Concionator hic per antonomaſiam ad caſus hujus adſpectum conticuit, ratus hoc adoleſcentuli mortui ſpectaculum majorem in auditorum animis vim habiturum, quam totum eloquentiæ ſuæ divino animatæ ſpiritu robur. Adeo verum eſt, quod mortis adſpectus admirabilem habet poteſtatem, ut obduratiſſima corda, mordicuſque ſæculi vanitatibus adhærentia commoveat.

Mens Eccleſiæ in cinerum cæremonia eſt, in nobis mortis memoriam revocare.

Mortis ſententia contra omnes homines lata per hæc verba expreſſa eſt: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris*; & ne illius nobis excidat memoria, Eccleſia quotannis in cinerum cæremonia illam nobis inſtaurat, quæ numquam ex mente noſtra eſſet delenda: *Memento homo &c.* O Homo, quiſquis es, publicæ venerationis objectum vitæ tuæ gloria, vel meritorum tuorum commendatione, memento, te pulverem eſſe, mox reverſurum in pulverem. Hæc irrevocabilis eſt ſententia, quam in te protulit Deus, qui immortali oris ſui flatu limum, ex quo factus es, animavit: Mors cum peccato in mundum ingreſſa eſt; funeſta iniquitatis ſucceſſio, quam naſcentes recipimus, triſtem ſecum adfert mortis hæreditatem. Homo prævaricator! exul eris, & erro in hac terra morientium, quæ ſpinis conſita ubicumque peccati tui tibi exhibet pœnam. Ibi miſeram trahes vitam brevi paucorum annorum ſpatio circumſcriptam, infinitis inimicis, & infirmitatibus ſeptam: ſudore vultus tui illam fovebis, & nutries. Singula momenta illius auferent partem, ac tandem ad ſepulcrum, & univerſam terræ viam pervenies. Hoc fatum hominis eſt propter ſententiam in ipſum latam, & cujus numquam debet oblviſci.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic Argumento.

Vita brevis eſt, mors proxima.

Ego dixi; in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi. Iſaiæ 38. Hoc eſt, juxta pulcherrimam S. Hieronymi paraphraſin: conſideravi, mihi quam primum eſſe moriendum, ac exiguum temporis ſpatium vitæ meæ ſupereſſe: *Quævi reſiduum annorum meorum.* Vidi certo, atque in æternis Dei mei decretis conſtituto tempore nullam mihi amplius futuram cum hominibus conſuetudinem, & omne cum illis commercium brevi eſſe infringendum: *Et non aſpiciam hominem ultra.* Vidit terminum prope eſſe, vitamque meam ſenſim effluere, nullumque momentum eſſe, quod vitæ meæ particulam non auferat: *Generatio mea ablata eſt, & convoluta eſt a me.* Vidi prope eſſe, ut vitæ meæ ſtamen ſuccidat; *Præciſa eſt veluti a texente vita mea: dum adhuc ordirer, ſuccidit me*; ac tandem poſt paucos dies mihi eundum eſſe ad ſepulcrum, quod communis eſt omnium hominum terminus; ſed hæc videnti quid conſilii capiendum eſt: quiſnam fructus ex hac cogitatione percipiendus?

Morti proximi intelligimur errorem fallacium idearum, quas viventes de mundi hujus bonis habuimus.

In illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Pſal. 145. Qui falli non vult de hujus mundi rebus judicium ferens, eas conſiderare, atque inſpicere debet ea ex parte, ex qua illas jamjam moriturus, eaſque relicturus inſpiciet. Tunc omnia ceſſant præjudicia, omnes fallaces ideæ ſpiritus diſſipantur, omneſque imaginationes falſo laborantes principio in tota falſitate ſua apparent, ac nos fuiſſe deceptos oſtendunt. Rationes, quæ validiſſimæ exiſtimabantur, ineptæ videntur; & natura, unde illæ omnes vires mutuabantur, penitus profligata non valet ultra nobis imponere, ac ſeducere. Tunc de mendacio veritas triumphat, & qui ita infelices fuere, ut ſibi os finerent ſublimiri, errorem ſuum agnoſcunt, ſuumque damnant infortunium, quod iniquitatis vias ſecuti, in illis fuerint delaſſati, ac dolore conficiuntur, quod interitum ſuum nacti fuerint ibi, uti ſe voluptatem, & conſolationem inventuros arbitrabantur.

Mors

Mortis cogitatio vitam noſtram regere debet.

Mors in nobis operatur, vita in vobis. 2. ad Corinth. c. 4. Hoc, ex S. Pauli ſententia, bonos inter & malos diſcrimen eſt. Hi amore vitæ gubernantur; ideoque præſentia tantum, ac viſibilia diligunt bona. Illi vero ducuntur mortis cogitatione, quæ mirifice bonorum operum mater fœcunda eſt: *Mors operatur in nobis, vita in vobis*, Hæc cauſa eſt, propter quam fideles jejuniis, aliiſque pœnitentiæ auſteritatibus corpora ſua mortificant, nolentes in delicias eam verſari carnem, quæ mox humi debet contabeſcere. Cogitatio hæc ambitionis conatus coercet, oſtendens, fruſtra appeti honores, & niteſcere velle in mundo, brevi in ſepulcri tenebras inferendos &c. Ita mortis cogitatio ſemper vivida eſt, & operatur in bonis; e contra vero vita, ſcilicet vitæ diuturnæ cogitatio, & cupiditas illius, quoad fieri poteſt, producendæ, efficit, ut impii in ſceleribus ſuis perſeverent; ſuiſque tantum cupiditatibus exelendis vacent.

Sæculi proſperitas non viget diu, Mors ſerius, ocyus omnia rapit.

Auferetur factio laſcivientium. Amos cap. 6. O felices ſæculi! qui ob oculos populi adeo eniteſcitis, quamprimum fulguris inſtar evaneſcetis. Divites mundi! quot adhuc felicitatis annos vobis promittitis? Inanes, & ambitioſi conatus veſtri, chimerica fortunæ, ac nobilitatis conſilia multa expeterent ſæcula; & fortaſſe nos ſubſecutura diebus veſtris finem imponet: *Hac nocte animam tuam repetent a te*. Luc. 12. Superba ſupellex, magnifica ſervorum turba, ædes immenſæ quamprimum aliis dominis ſervietis; unicum arenæ granum ingentem hunc proſternere valet coloſſum; *Et quæ paraſti cujus erunt*? Dulcis profecto conſolatio diviti reprobo, hæredibus ſuis reliquiſſe, unde commode, & in deliciis vivant, dum interim infernis ignibus torqueretur. *P. Croiſet tomo ſecundo Aſceticarum Conſiderationem*.

Cogitatio cinerum, in quos aliquando redigendi ſumus, humiliare nos debet.

Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Geneſ. 3. Poſtquam corruptio redegerit corpora in pulverem, nihil niſi pugillus cinerum ſupererit. Quam mira mutatio! Hic terminus eſt ſublimium terræ poteſtatum, ſub quibus totus terrarum orbis contremuit. Numquid omnia ad id erant ſuſque, deque movenda, atque ut in adagio eſt, terra, cœlumque miſcendum? Numquid pro adeo levi re tot ciendæ erant procellæ? Heu! in ſummis illis terrarum dominis, quos reliqui omnes venerabantur, & admirabantur, non aliud erat præterquam hoc parum pulveris. Quid igitur eſt ille, qui ob egregias dotes ſuas gloriabatur? Ecce pulvis illius capitis, quod adeo ſublimia moliebatur conſilia: ecce brachium illud, quo evertebatur, quidquid obvium fieret, vel voluntatibus ejus adverſaretur. Eheu! quam jure noſmet ipſos contemnere debemus, cum non aliud ſimus, quam cinis! Numquid jure ſuperbia efferri poſſumus cogitantes Deum ſub pedibus noſtris terram poſuiſſe, ut humilitatem, ac modeſtiam doceret? Cum enim de terra educti fuerimus, quod elementorum omnium abjectiſſimum eſt, cum noſmet ultra conditionem noſtram attollimus, univerſorum ordinem evertimus, ac in mundo confuſionem remittimus.

Mortis cogitatio avellere nos debet a bonis, voluptatibus, & honoribus hujus mundi.

Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te. Luc. 12. O ſtulti mortales! Hac ipſa fortaſſe nocte ex vobis anima veſtra repetetur, & ingentia illa, quæ adepti eſtis bona, cui domino ſervient? Ne mihi ſuccenſeatis, auditores, ſi hodierna die hoc ipſum vobis exprobro, quod videlicet tanto amore proſequamini corpus veſtrum aliquando ornamentis omnibus, quibus nitet, exuendum, ac in deliciis carnem veſtram habeatis quamplurimum pabulum vermium futuram. Cur tanta ambitione intumeſcitis, quandoquidem mox ita deprimendi eſtis, ut vix quinque, aut ſex terræ pedes habeatis; atque tunc in ſepulcro mundi totius horror eritis, & nauſea? Hac de cauſa S. Paulus Apoſtolus in mundo eſſe nos jubet, quaſi ibi non eſſemus; quia non ita multo poſt ibi futuri non ſumus, atque repetetur ex nobis anima, quæ eſt vitæ noſtræ principium. *Hac nocte animam tuam repetent a te*. Itaque ea quæ poſſidemus bona, a nobis poſſidenda ſunt, quaſi non poſſiderentur; quia ex nobis repetetur anima, quæ una ex illis frui, eaque poteſt poſſidere.

Status, in quem mors redigit hominem potentem, divitem, & voluptatibus deditum.

Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, concidit cadaver tuum, ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Iſaiæ 14. Nemo melius, & eloquentius locutus eſt de eo ſtatu, ad quem redigitur homo, qui primum quidem in terris emicabat, & qui modo in tumulo ſepultus, a vermibuſque deroſus tandem in pulverem redigitur. Primum cogitate locum, ubi corpus illius ſitum eſt: *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua*. Ex illo honoris faſtigio, ex illo dignitatis gradu, ubi eum omnes verebantur, ex throno, ubi ſedebat, ex illo ſublimi vertice, unde omnibus metum injiciebat, in foveam conjectus eſt, ubi quam primum fiet horroris objectum, cujus aſpectum nobis tellus abſcondit, quia nemo eum ferre poteſt. *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua*. Itaque tu qui putabas terram indignam eſſe, quæ te ſuſtineret; tu qui ſuperbis veſtibus induebaris, mollibuſque in culcitris cubabas; tu qui quotidie aureis in curribus vehebaris, modo pedibus conculcaris; ubi nunc ille faſtus, ea gloria, & pompa, propter quam te omnes admirabantur? *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua*. Secundo quinam eſt ſitus corporis in tumulo? *Concidit cadaver tuum*; abjectum eſt, everſum, tamquam ſimulacrum, quod cecidit in terram, atque eo in loco ſtratum, unde egredi non poteſt, neque a ſe contumeliam propulſare: ubi etiam a nullo auxilium percipere poteſt ſine motu, & ſine actione: *Concidit cadaver tuum*. Eheu! ubi illa vis eſt, illa majeſtas, pulchritudo, ſuavitas, quæ in ſe omnium oculos convertebat? *Concidit cadaver tuum*. Quid poſt hæc dicendum ſupereſt? *Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes*. Superbus ille homo, & hæc mulier mundana magnificis veſtibus operiebantur: ſerica illorum indumenta acu picta erant, auroque micabant; nullum erat pretioſum veſtium genus, quod non adhiberetur ad tegenda corpora in deliciis innutrita; hæc vero modo ſunt cadavera vermibus cooperta, & circumdata, facta putredinis congeries, horridumque ſpectaculum, quod vobis exhibere animus refugit: *Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes*. Sed evangelici miniſtri ſæpe dicere deberent populis, quod Lazari ſorores Salvatori ad tumulum accedenti, ubi frater earum jam quatriduo ante conditus fuerat, & jam erat corruptus: *Veni, & Vide*. Oculos, ſenſuſque veſtros intendite, contemplamini hunc ſcopulum, in quem omnes mundi vanitates, honoreſque alliduntur. Venite, & videte, quo in ſtatu modo ſit homo ille olim adeo potens, magnificus, voluptuoſus. Adſpectus veſter hæc permeet marmora, ſuperbaque monumenta, vanitatis, & ſuperbiæ ejus reliquias: illum ne agnoſcitis? illum ab humillimo quovis mancipio, ac mortalium omnium noviſſimo diſtinguitis? Venite & videte. Hæ ſunt reliquiæ cadaveris mulieris illius, quæ adeo forma præſtabat, quæ ab omnibus quærebatur, & amabatur, ac totius civitatis erat idolum: quonam abiit illa adorantium caterva? &c.

Mortis cogitatio poteſt eſt remedium contra peccata.

Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis. Eccli. 7. Hæc memoria ſpiritui noſtro præſens, ratio tua eſt innocentiæ mendæ, & chriſtiane vivendi. Heu! Mortem cogita, neque eris ultra tui ipſius amore infatuatus, qui omnium vitiorum tuorum origo eſt. Non eris amplius juris tui tenax adeo; non auctoritatis tuæ adeo acer aſſertor; non adeo lucri cupidus, & iracundus; non adeo cum aliis durus, ac tecum indulgens, & ubique adeo parum chriſtianus. Mortem cogita, & jam lenis eris, modeſtus, verecundus, humilis, patiens. Nulla affectio eſt, quæ ſaluberrima cogitatione hac non infirmetur. Verum nonne ideo potius mortem non cogitas, eamque cogitare times, ne vitæ rationem mutare tenearis? Dic adoleſcentulæ illi, quæ luxui, vanitati, & muliebri mundo tantummodo vacat, quæ gaudia tantum, ac mundi feſtivitates inquirit, dic, mortem cogitet: *Memorare noviſſima tua*. Viro illi negotioſo magna naviganti maria; quorum terminos ambitio, & cupiditas invenire non poſſunt, dic, cogitet pauperiem, & nuditatem, ad quam per mortem intra paucos dies eſt redigendus. Mundi principibus in faſtu natis, inter delicias innutritis, interque nobilitatis ideas educatis, dic, illum cogitent diem, quo cum ſubditorum ſuorum noviſſimo ſunt confundendi. Si homines illi aliquando mortem cogitarent, tantone ardore id quærerent, quod ſuas alit cupiditates? Itane vitæ huic adhærerent? *Ex tomo ſecundo ſpiritualium Conſiderationum P. Croiſet*.

Memorare noviſſima tua &c. En altera ratio applicandi allatum Eccleſiaſtici locum. Magna quidem mortis cogitationi virtus ineſſe dicenda eſt, quandoquidem Creator illam ſtatim in primi hominis mente imprimens, hac uſus eſt contra peccatum. Statim ac mandatum infringes, morieris; neque tentator ipſe hominem ad peccandum ſtatuit pertrahere, niſi poſtquam hanc illi abſtulit cogitationem: *Nequaquam moriemini*. Adam, donec cogitationem iſtam retinuit, caruit culpa; neque peccator factus eſt, niſi poſtquam illam abjecit; quod quidem oſtendit, quanta in nobis mala mortis oblivio operetur, & quam admirabiles effectus illius memoria producat. Mortis oblivio ſignum eſt vitæ mollis inertis, ac mundi hujus bonis hærentis.

Cogitandum eſt omnia fortunæ bona morientibus non profutura.

En morior, quid mihi proderunt primogenita? Geneſ. 15. Homo potens, dives, omnibuſque naturæ, fortunæque bonis cumulatus, ſi cogitaret ſe brevi moriturum, nonne jure hæc infelicis Eſau verba uſurpare poſſet, ſed

alio

alio in ſenſu? Ille enim fame preſſus non aliud quærebat, niſi unde ſaturaretur: *En morior; quid mihi proderunt primogenita*? Numquid tanta opus eſt cura pro iis bonis, quæ ex hoc mundo egredientes nobiſcum ferre non poſſumus? Quandoquidem intra breve temporis intervallum moriendum eſt, quid mihi proderunt primogenita, honores, dignitates, atque omnia nobilitatis inſignia, quæ genus ipſum mihi contuliſſet? Quid proderunt opes, quæ mihi erunt relinquendæ? Quid in voluptuaria domo omnes vitæ delicias, & commoda concluſiſſe, cum illinc mox exire cogar? quid per tot labores, atque pericula ad hunc apicem perveniſſe? *En morior, quid mihi proderunt primogenita*? Hæ ſunt ſalutares conſiderationes, quas mortis cogitatio, & meditatio nobis ſuggererent.

Eorum, qui præceſſerunt, exemplum docet nos quovis tempore, quavis ætate mori poſſe.

Defunctus adhuc loquitur: Ad Hebr. 11. dicebat S. Paulus Apoſtolus loquens de Abel; quomodo clamat adhuc, cum mortuus ſit? Hoc modo. Hic primus fuit hominum, in quo mortis ſententia contra omnem Adæ poſteritatem lata, adimpleta eſt. Adoleſcens erat, robuſtæ valetudinis, integerrimæque vitæ, ſibique integra promittere poterat ſæcula. Fratris ejuſdem invidia hæc omnia illi abſtulit, ac momento illum orbavit omnibus naturæ bonis, quæ in ipſo reperiebantur. Hic autem mortuorum princeps muta quidem lingua, ſed quam omnes intelligere poſſunt, ait, vitæ ſuæ ſtamen in ipſo dierum ſuorum initio, & cum id minus putabat, fuiſſe ſucciſum. Nos vero, qui neque idem ac ille robur, neque eumdem ætatis florem, neque adeo perfectam valetudinem; nos qui neque illius virtutem, innocentiam, & merita habemus, quomodo vitæ diuturnitatem, pacatamque bonorum, quibus fruimur, poſſeſſionem ſperabimus?

Noli metuere judicium mortis: Eccli. 41. hoc eſt, ne metuas, cum tibi mortis nuntium præbebitur, ac dicetur, Medicorum unanimem eſſe ſententiam, te cito moriturum. Te eo in ſtatu conſtitue, ubi hoc mortis nuntium tibi terrorem non afferat. Utinam tantum non eſſet difficultatis, quantum videmus, cum ægrotanti nuntium illud afferendum eſt, quod Iſaias Propheta c. 38. audacter Ezechiæ Regi nuntiavit: *Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives*. Conſanguinei nolunt aliquando hoc ægroto nuntiari, ne terreatur; ſed nequiſſimum hoc factum eſt, ac ſæpe noxium ſaluti plurimorum, qui animam efflant, quin per tempus ſeſe morti potuerint diſponere: *Noli metuere judicium mortis*.

Quidquid in nobis eſt, monet eſſe moriendum.

Reſponſum mortis habuimus in nobiſmetipſis: 2. ad Cor. 1. Quid ſibi velle Apoſtolus vobis videtur? Interpretes quidam ſignificare putant, iis omnibus, quæ in nobis ſunt, non ſecus ac iis, quæ circa nos ſunt, admoneri nos eſſe morituros. Et ſane ſi corpus noſtrum, omniaque membra illud conſtituentia interrogamus, reſpondebunt, ſe diu durare non poſſe, admirabilem molem hanc aliquando in pulverem eſſe redigendam: temperamentum, corporis habitum, humores, quorum œconomia, & conſenſu vivimus, nobis mortis ſententiam ſignificare; neque enim conſenſio hæc ſemper eſt durare. Videmus, ac ſentimus illos perturbari, & hoc mortis reſponſum vocatur; verum addamus, hoc illud etiam eſſe reſponſum a nobis iis rebus omnibus reddendum, quæ efficiunt, ut vitam diligamus. Dives ſum; ſed mori debeo: omnibus fruor voluptatibus, me metuunt omnes, & colunt: ea poſſideo omnia, quæ in hoc mundo beatum efficere poſſunt; ſed his omnibus reſponderi poteſt, mihi eſſe moriendum. *In nobiſmetipſis reſponſum mortis habuimus*.

Fatui ſumus qui colimus corpus in cinerem redigendum.

Artifex lignarius ſumpſit lignum, medium ejus combuſit igni, reliquum autem ejus Deum fecit, & ſculptile ſibi: curvatur ante illud, & adorat illud. Iſaiæ 44. Hoc pacto Propheta idololatram irridet. Videte hominis hujus amentiam, qui ex eodem ligno partem quidem ollæ ſupponit ad pulmentum coquendum, vel ad ſe calefaciendum; alteram vero partem ejuſdem naturæ, qua prior illa, dolat, ut ſibi idolum, & numen efficiat, coram quo genua flectat, thus adoleat, & quod ſumma reverentia veneretur. Quæ inſania id venerari, cujus pars in cinerem abiit? Nobiſmetipſis adeo juſtam exprobrationem applicemus. Nos ſumus hæc ligna, quorum radix Adam eſt; major ramorum hujus arboris pars in cinerem redacta eſt, nihilque præter hanc ſupereſt partem; nonne inſipiens eſt, qui reliquam partem adorat, & ex ea ſibi idolum conſtituit? Hic ſuum corpus adorat; ille fluxam fragilemque formam colit. Eheu! cogita, cultus tui objectum quamprimum mortis exuvias futurum, & in cinerem eſſe redigendum: *Pars ejus cinis eſt, cor inſipiens adoravit illum*.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

QUid in hac vita certum eſt niſi mori? Quocumque te verteris, incerta omnia, mors certa, natus es, certum eſt quia morieris. Auguſtinus.

Non eſt Deus mortis inventor, ſed judex, quia mortis author peccatum eſt. Idem, lib. 1. quæſt. veteri & nov. Teſtam. quæſt. 34.

Mors non natura eſt conditio, ſed pœna peccati. Idem, l. de Prædeſt. & Grat. c. 3.

Bene eſt quod timeas mortem; ſed eam mortem debes timere, quam tibi ipſe facis. Idem, Epiſt. ad Presb. Man.

Sive feſtines, ſive tardes, omnis vita humana brevis eſt. Idem, Serm. 3. de verb. Apoſt.

Tunc maxime pungit timor mortis, quando nobis bene eſt; nam quando male eſt nobis, non timemus mortem. Idem, Serm. 245. de Temp.

Ex quo homo incipit vivere, jam poteſt & mori, poſſibilitatem mori, initium vitæ facit. Idem, de decem chordis, c. 2.

Quid eſt mors? derelictio corporis, depoſitio ſarcinæ gravis, modo alia ſarcina non portetur, qua homo præcipitetur in gehennam. Idem, in Joannem.

Quidquid temporis viximus, de vivendi ſpatio demitur, & quotidie fit minus quod reſtat, ut nihil ſit aliud tempus, quam curſus ad mortem. Idem, de Civ. lib. 13. cap. 10.

Nudi omnes naſcimur, nudi morimur, nulla diſtinctio inter cadavera mortuorum, niſi forte quia gravius fœtent divitum corpora diſtenta luxuria. Ambroſius in Hexam.

Quid tantopere vitam iſtam deſideramus, in qua quanto diutius quis fuerit, tanto majori oneratur ſarcina peccatorum. Idem, de bono mortis.

Non habemus quod a morte timeamus, ſi nihil quod timendum ſit, vita commiſit. Idem, ibid.

Nihil tam decipit genus humanum, quam quod dum ignorant ſpatia vitæ ſuæ, longiorem ſibi ſæculi hujus poſſeſſionem repromittunt. Idem, Epiſt. ad Cypr. Presb.

Tanto amplius mors timeri debet, quanto numquam prævideri valet. Gregorius, l. 12. Moral. cap. 19.

Ad hoc conditor noſter latere nos voluit finem noſtrum, diemque mortis eſſe incognitum, ut dum ſemper ignoratur, ſemper proximus eſſe credatur. Idem, ibid.

In morte, tanto timor fit acrior, quanto retributio vicinior, & quanto vicinius judicium tangitur, tanto vehementius formidatur. Idem, l. 24. Moral.

Homo, qui ſi in Creatoris obedientia perſtitiſſet, poſſet in æternum vivere, propter inobedientiæ culpam perculſus eſt mortalitate. Idem, in Pſal. 5. Pœnit.

Dura mente abeſſe mors longe creditur etiam cum ſentitur. Idem, lib. 8. Moral.

Ejus eſt in mundo diu velle permanere, quem mundus oblectat, quem ſæculum blandiens, atque decipiens illecebris terrenæ voluptatis invitat. Cyprian. lib. de mort.

Puerilem timemus pavorem, mortem timentes. Chryſ. Hom. 5. ad Pop. Antioch.

Quid tandem eſt mors? ſomnus conſueto longior. Idem, ibidem.

Nihil mors eſt ultra quam ſomnus, & peregrinatio, & tranſmigratio a deterioribus ad meliora. Idem, Hom. 45. in Geneſim.

Vis ſcire cauſam cur mortem timeamus? non viximus cum diligentia, non habemus conſcientiam puram; quod ſi eſſet, nihil mors terruiſſet. Idem, Homil. 5. ad Pop. Antioch.

Mori oportet, hoc ſtipulata eſt Dei vox, hoc ſpopondit omne quod naſcitur. Tertullian. in Apolog.

Morimur ſemper dum vivimus, & tunc tantum deſinimus mori, cum deſinimus vivere. Innocentius Papa, l. 1. de contemptu mundi.

Miſera conditio, gravis dolor, grave damnum, grave tormentum mors. Sanctus Anſelmus, in Medit.

Volo te mortem, etſi non effugere, certe non timere: juſtus quippe mortem niſi non cavet, tamen non pavet. Bernard. Epiſt. 105.

Semper extremum diem debemus metuere, quem numquam poſſumus prævidere. Gregor. Homil. 11. in Evangelium.

Dies ultimus ſenibus eſt in januis, juvenibus in inſidiis. Abbas Guerricus, Serm. 3. de Adv.

Mors nihil aliud eſt quam carceris finis, & laboris conſummatio, oneris graviſſimi depoſitio, de domo ruinoſa liberatio. Idiota l. 5. c. 8.

Quantis laboribus agitur, ut longiori tempore laboretur? & mors cum impendere cœperit, ideo cavetur ut diutius timeatur. Auguſt. Epiſt. 45.

Mors

Mors eſt portus, ad quem continuo navigamus. Idiot. l. 5. c. 8. de Contemplat.

Mutuum debitum eſt inter ſe nativitati cum mortalitate: forma moriendi cauſa naſcendi eſt. Tertull. de carne Chriſti.

Omnino opus mortis horrendum divortium. Bernard. Serm. 26. in Cant.

Vides viventem, (hominem divitem, & ſuperbum.) *Cogita morientem*. Auguſtinus in Pſalmum 98.

Pulvis mortalium ultima ſpes. Gregorius Nazianz. in carmin.

Mundus hic, & mortalis eſt, & morientium regio: priuſquam anima ſeparetur a corpore, ſæpe morimur; vita hominum per multas mortes expleri conſuevit. Baſilius, in Job. c. 4.

Horrere mortem, natura eſt; vincere naturam animi fortitudine, gratia eſt. Cyprianus Epiſtola 104.

Crede mihi, non habet concupiſcentia locum, ubi mors timetur. Zeno Veronenſ. Homil. de Contin.

Incertum eſt quo te loco mors expectat: tu illam omni loco expecta. Seneca.

Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, & tun equoque cum creſcimus, vita decreſcit. Idem, Epiſt. 24.

PARAGRAPHUS E.

Quid ex Theologiæ fontibus hoc in argumento poſſit hauriri.

Quid eſt mors.

MOrs ſi natura ſpectetur, non aliud eſt, quam animæ, & corporis ſeparatio, quemadmodum animæ & corporis unio vitam facit. Reliquæ notiones, vel definitiones, quæ de morte tradi poſſunt, non aliud ſunt, quam ideæ, quæ concipiuntur, prout illa conſideratur ratione ejus, quod in hac vita ſumus, vel ejus, quod evadimus, ubi deſinit vita. Ethnici, & Chriſtiani hac in re idem ſentiunt, neque differunt niſi in iis, quæ mortem ſubſequuntur, ac in ſpiritus diſpoſitione eorum, qui illam vel accedere ſentiunt, vel obeunt. Mors igitur ita conſideranda in duas ſpecies dividi poteſt. Altera naturalis dicitur, & hæc ex intrinſeco procedit principio; videlicet ex naturalis caloris extinctione, & ex humidi radicalis, quo alitur vita, defectu. Species altera mors violenta appellatur, ex principio externo profecta, quod differt pro varietate caſuum, vel cauſarum vitam auferentium. Hoc fuſius explicare neceſſe non eſt; ſatis enim per ſe patet, & quotidiana intelligitur experientia. In Chriſtianæ Religionis principiis mors, morbi, & infirmitates illam præcedentes, ac producentes ſunt pœna peccati primorum parentum; quod Apoſtolus docet, ubi ait mortem in mundum per peccatum ingreſſam. Hoc ſupponit primos parentes noſtros a Deo creatos fuiſſe cum dono originalis juſtitiæ, quod illos præſervaſſet a morte. Sed cum voluerint illi per peccatum fieri immortales, univerſa humana natura privata fuit hoc ſupernaturali dono, quo primi parentes fuerant inſigniti, ideoque cecidit in inevitabilem moriendi neceſſitatem. Itaque mors homini naturalis eſt propter mixtionem humorum, ex quibus corpus illius coaleſcit; ſed facta eſt illi in pœnam, atque ſupplicium propter jacturam originalis juſtitiæ, quæ illum a morte erat præſervatura.

Catholica ſententia eſt, & a nullo Theologorum in dubium accerſita, quamvis mors ſit pœna peccati primorum patrum, eamque nos propriis, & perſonalibus criminibus præverterimus, illam tamen eſſe poſſe non ſolum viris bonis occaſionem meritorum, verum etiam ſatisfactionem (ſaltem ex parte) divinæ juſtitiæ pro noſtris iniquitatibus per voluntariam ejuſdem acceptationem, bonumque uſum dolorum, quos parit; ad quem morientes hortari opus eſt; ita ut non de ſola martyrum morte cum S. Auguſtino *l. 13. de Civit. cap.* 4. dici queat, per admirabilem Salvatoris gratiam peccati pœnam virtutis inſtrumentum factum fuiſſe. Mors omnibus hominibus validiſſimum eſſet ſalutis pharmacum, & malorum eorumdem præſens remedium, ſi illinc noſſent eas percipere utilitates, quas illis procurare vult Dei miſericordia per hoc ſupplicium, quod in ipſos illius exercet juſtitia.

Cur Deus hominem morte damnaverit.

Hæc ſententia eſt, quam contra primum hominem tulit Deus, qui illum, omnemque ejus ſobolem morte damnavit. Et profecto æquum erat, ut homo, quandoquidem peccaverat, mortem ſubiret: quæ S Bernardi ſententia eſt: *Æquum erat, ut moreretur homo, ſi peccaret*. Et rationem hic Pater addit: quia corpus, & anima invicem ſeparari non poterant, niſi per mortem, quemadmodum nonniſi per peccatum anima a Deo poterat ſeparari: *Non potuit dividi a Deo, niſi peccando, & corpus ab anima, niſi moriendo*. At juſtum erat, ut anima poſtquam ultro a Deo receſſerat, per corporis ſeparationem puniretur; ideo oportebat, ut homo, ex quo peccare cœperat, morti fieret obnoxius: tanto magis, quia ſæpe corpus animam nocentem facit, & meretur, ut ipſum puniat Deus efficiens, ut in primam originem revertatur.

Cur Dei filius, qui nos liberavit a pœnis peccato debitis, a morte liberare noluerit.

Quamquam Dei Filius in terras deſcenderit, ut nos iis eximeret pœnis, quibus per peccatum eramus obnoxii, noluit tamen a lege mortis eximere, quæ earum prima eſt, nobiſque immortalitatem primorum parentum prævaricatione amiſſam reſtituere. Theologi plures afferunt rationes, at præ cæteris hanc S. Auguſtinus *l. 13. de Civit. cap.* 4. videlicet ut ſalutem noſtram educeret ex eo, quod fuit primi parentis ſupplicium, voluit, ut hæc peccati pœna fieret virtutis inſtrumentum, ac ad æternam beatitudinem tranſitus: *Sic per ineffabilem Dei miſericordiam, & ipſa pœna vitiorum tranſit in arma virtutis, & fit juſti meritum ſupplicium peccatorum, ut mors, quam vitæ conſtat eſſe contrariam, inſtrumentum fieret, per quod tranſiretur ad vitam*.

Veterum Philoſophorum error de mortis neceſſitate.

Omnium veterum Philoſophorum fuit error, mortem unice ſpectare tamquam naturæ legem, non autem tamquam pœnam peccati, ut malorum omnium graviſſimi ſeveritatem inevitabili ejuſdem neceſſitate quodammodo lenirent. *Lex eſt*, dicebat Seneca huc ſpectans, *non pœna perire*. Verum cum fidei luminibus illuſtrati non eſſent, error illorum venia dignus erat. Cum enim viderent terrena omnia propter eſſentiæ ſuæ conditionem pereuntia, videbatur illis homo ab hac generali lege immunis eſſe non poſſe. Verum docet fides, illum immortalem fuiſſe futurum, ſi eam, in qua creatus fuerat, originalem juſtitiam ſervaſſet. Ita homini quamvis juxta naturæ ſuæ principia moriendum ſit, certum eſt tamen, ſi Deo fidelis permanſiſſet, illum mortis tela experturum non fuiſſe, & quin per funeſtum hoc medium pertranſiret, ab hac vita ad beatam immortalitatem fuiſſe tranſiturum. *Primus creatus eſt homo immortalis: quod ei præſtabatur de ligno vitæ, non de conſtitutione naturæ: mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis vero beneficio conditoris*. S. Auguſtinus, *l. 6. de Gen. ad lit.* 25. ait.

Sufficit eſſe filium Adæ, ut ſit duræ huic obnoxius neceſſitati, quæ, uti dictum eſt, eſt pœna peccati. Ideo Dei filius, qui hanc ſibi vindicarat provinciam ſatisfaciendi juſtitiæ divinæ pro peccatis hominum, quamvis natura ſua eſſet immortalis, ſimul ac noſtram aſſumpſit carnem, noſtram quoque ſubiit mortalitatem, & reipſa mortem expertus eſt. Sanctiſſima illius genitrix, quamvis in conceptione ab omni peccati labe præſervata in ipſa integerrima innocentia ſua, hanc ſubiit pœnam ſontium filiorum Adæ. Poſt magna hæc duo explenda inſaniæ cumulus eſſet aliquam ſibi polliceri immunitatem a lege adeo inviolabili, & generali.

Cur Baptiſmus qui delet peccatum non liberet a morte.

S. Auguſtinus huic reſpondet quæſtioni, tantum abeſſe, quod Baptiſmus, vel mors Jeſu Chriſti liberare debuiſſet a morte credentes in illum, ut immo hic Baptiſmus, & hæc mors recentem illos moriendi neceſſitatem imponant. Cum enim per hoc Sacramentum incorporentur Jeſu Chriſto, coguntur gerere ſimilitudinem mortis illius; & quoniam caput in gloriam ingreſſum non eſt niſi per mortem, & crucem, membra in partem glorioſæ immortalitatis, quam ipſum obtinuit, venire nequeunt, niſi per fidelem mortis ipſius imitationem; ut hic Doctor ait: *Sumus in morte illius baptizati, ut moriamur ſicut ille*.

De finali perſeverantia, quæ eſt mori in ſtatu gratiæ.

Cum finalis perſeverantia non aliud ſit, quam bonæ, ſanctæque mortis gratia, quam Deus ſuis electis concedit, illos ex hoc mundo auferens cum in gratiæ ſtatu ſunt, quod quidem beneficium non omnibus confert, & nemini, ne ſanctiſſimis quidem hominibus, debet; en quid animos nobis facere debet inter mortis terrores, ac in metu, ne hanc deneget gratiam, quam ipſi mereri non poſſumus; videlicet juxta communes divinæ Providentiæ regulas ſanctam vitam infelici morte excipi nequaquam poſſe. Hoc ſacroſancta Tridentina Synodus tradit, quæ in re tanti momenti duo nos docet. 1. Ad quemcumque perfectionis gradum Juſtus, donec inter vivos degeret, aſcenderit, non vult illum certum eſſe de ſua in ſtatu gratiæ uſque ad mortem perſeverantia, ut noſmet in humilitate, metu, noſtrarumque virium diffidentia contineat. 2. Nos admonet, ut humilem habeamus in bonis operibus noſtris confidentiam; unde inferendum eſt laboribus, curis, precibus, mortificationibus, vitæ denique ſanctitate obtineri finalem gratiam, quæ non aliud eſt, quam gratia bene moriendi.

Quam horribile malum ſit mors in peccato.

In peccato vivere, proculdubio terribile malum eſt; peccatum enim hominem divina gratia privat, Dei ini-

micum conſtituit, hujus in illum excitat odia, omnibus bonis ſupernaturalibus exuit, per quæ jus aſſecutus erat ad gloriam, ac tandem inferno dignum reddit. Sed in peccato ſuo mori alterum malum eſt longe gravius, ac terribilius: etenim præter omnia ea mala, quæ omnino a peccato nequeunt ſeparari, ſeu in vita, ſeu in morte; qui hoc in ſtatu moritur, videt penitus excidere, quidquid ſpei, bonique, ſeu veri, ſeu apparentis hac in vita ſupereſt peccatori.

Mortem ſpectare debemus non ut Philoſophi, ſed ut Chriſtiani.

Sunt, qui mortem cogitent more Philoſophorum; illam conſiderant veluti generalem neceſſitatem, quam evitare non poſſunt, ac ſe illi paratos putant, cum eam ſine tumultu pati decreverunt: at non quærunt, quid eventurum ſit animæ ſuæ: ſeſe tradunt deſideriis cordis ſui æque audacter, ac ſi nulla eſſet juſtitia, quæ hominum iniquitates puniret, & ſi quid in ipſis eſt, cum ipſis eſſet interiturum. Sed qui fidem habent, plus quoque luminis habent, & rationis; jure timent ne decidant in manus Dei, antequam illius juſtitiæ ſatisfecerint, & bonam mortem deſiderant: *Moriatur anima mea morte juſtorum*. Hac de cauſa turbantur quotieſcumque ſeſe illis mors offert; timent peccata ſua, ac illa per pœnitentiam expiare conſtituunt. E vita excedere cupiunt Sanctorum more, ac vitæ præſentis ærumnas ſuſtinent, futurorum bonorum ſpe confirmati.

Mortis memoria eſſe debet aſſidua.

In dubium revocari non poteſt hæc Sapientis ſententia; *Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis*; ſed vehementer erraret, qui crederet omnem mortis recordationem effectum hunc gignere poſſet. Cum talis re ipſa eſt, qualem Deus deſiderat, nihil ſane adeo efficax, validumque eſt, quod nos a peccato præſervet: quemadmodum nulla res magis a mundo nos divellere poteſt, quam cogitare, momento nullum pro nobis mundum ultra futurum. Sed mentis cogitatio, quæ evaneſcit antequam efformetur, non poteſt calidam in corde noſtro efficere impreſſionem, & aliquid in actionibus noſtris mutare. Ut ergo efficiat, ut fructus ſalutis feramus, ex mente noſtra egredi nequaquam debet, ſed ſemper ante oculos noſtros verſari, operumque noſtrorum normam eſſe, ut tot vitæ noſtræ ratio ſimilis videatur illi hominis in agone poſiti, & jamjam morituri.

Mors licite, immo etiam ſancte poteſt deſiderari.

Fateor equidem a naturæ vitæ nobis inſitum fuiſſe deſiderium; ſed propter hanc ipſam cauſam Theologi affirmant mortis deſiderium eſſe legitimum; tranſitus enim eſt ad veram vitam, quod nomen illa, qua fruimur, nequaquam meretur. Si animæ noſtræ in innocentia permanſiſſent, vitæque noſtræ in infelicitate; hoc vivendi deſiderium pro æquiſſimo objecto habuiſſet temporalem hanc vitam, eamque integram ſumma cum voluptate tranſegiſſemus; & quomodo hoc in ſtatu numquam mori potuiſſemus, optaſſemus ex hac ad alteram vitam gradum facere, quin terribile hoc medium offenderemus. Verum cum in ſcelus lapſi fuerimus, ideoque omnibus impliciti calamitatibus, & bona, quæ per peccatum amiſimus, nonniſi per mortem rurſus acquirere valeamus; mortem, quæ in noſtræ felicitatis poſſeſſionem nos adducat, optare neque error eſt, neque inſania. E contra vero miſeranda ægritudo eſt vitam adeo miſeram cupere, & deperire. Præterquamquod quatenus chriſtiani noſmetipſos cogitare debemus tamquam viatores, quorum habitatio hoc in mundo eſſe non poteſt, ſed qui ad cœlum, veram patriam ſuam, ſummis votis contendunt. Mortem igitur optare poſſumus, & votum hoc indicium eſt ſanctæ, perfectæque animæ, nullo vinculo mundo huic adhærentis, atque cum Apoſtolo *ad Philip.* 1. ſolvi cupientis ex corporis hujus ergaſtulo, ut æternum cum Jeſu Chriſto permaneant: *Deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*: quod cum nonniſi per mortem valeat obtineri, jure S. Cyprianus ait, Chriſtianos a ſemetipſis diſſentire, cum Deum rogant, ut ipſius regnum adveniat, ſimulque mortem formidant, quæ unica via eſt ad illud perveniendi, ejuſque felicitate fruendi.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentioribuſque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Nihil magis a peccato homines poteſt deterrere, quam mortis cogitatio.

NON morimur, niſi quia peccavimus, & ne amplius peccaremus, ſufficeret cogitare, moriendum eſſe. Hoc eadem nobis Scriptura Eccli. 7. teſtatur: *Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis*. Et profecto quænam res magis efficere poteſt, ut homo ad cor revertatur; quænam facilius illi mundi hujus faſtidium immittere, ejus coercere ſuperbiam, ſalubremque judiciorum Dei illi terrorem poteſt incutere, quam mortis cogitatio? Ita Deus, qui videbat, quam utilis nobis erat futura cogitatio hæc, voluit, illam in mentibus noſtris excitari, ac inſtaurari poſſe infinita objectorum, & actionum varietate, quæ cum indeſinenter nobis ideam mortis offerant, non ſinunt, nos illius oblivisci, niſi ultro, ac data opera oculos avertamus. Moriendum eſſe non ſolum nos monet frequens tot hominum obitus, qui in ſingula momenta fato concedunt, tot animantium mors, quibus in peccati pœnam hac in re fuimus æquati; tot, qui nobis incidunt morbi; jugis corporum noſtrorum defectus, quem inceſſanter experimur; infiniti caſus, qui identidem mortem nobis portendunt; verum pleriſque etiam actionibus noſtris admonemur, quibus cum propoſitus ſit finis evitandi mortem, hujus imaginem aſſidue oculis noſtris debent exhibere. *Ex libro cui titulus*. Eſſais de Morale, *tractatu primo de quatuor noviſſimis cap.* 1.

Homines mortem cogitare debent non ſecus ac ſontes eadem efficiendi.

Sontes in carcere detenti, ac judicium ſententiam expectantes, ex qua ipſorum honor, bona, & vita pendent, admonendi profecto non ſunt, ut illud, in quo verſantur, periculum cogitent, quo pacto inde valeant emergere, qua ratione judicum gratiam captare; ſatis enim illos ſuus admonet ſtatus, & cogitatio ultro illuc fertur, quin ullo opus ſit conatu, ut ad id animum advertant. Sed quanto impenſius adverterent, ſi id ſe cogitantibus, negotiis ſuis, fortuniſque acceſſionem fieri poſſe crederent; nullamque potiorem eſſe judicum leniendorum, cauſæque ſuæ probandæ rationem, quam mente inceſſanter eum recogitare diem, quo ſunt judicandi? Hæc imago eſt ſtatus hominum; verum hæc vitæ eorom imago non eſt. Captivi ſunt, velut ſontes illi, de quibus loquimur; tota enim tellus generalis eſt carcer mortalium omnium, unde nonniſi per ſupplicium exitus patet. Mors illud eſt, quo illos univerſe divina juſtitia damnavit; & mors quælibet executio eſt ſententiæ Dei, qui nos huic ſupplicio adjudicavit. Quidquid circa illos eſt, hujus rei eos monet; & nihilominus pauciſſimi id cogitant, & longe pauciores id cogitant ſerio. E contravero mortalium plerique in hoc omnem curam, & induſtriam intendunt, ut procul arceant a mente ſua hujuſmodi objecta, & mortem minus, quam fieri poteſt, inſpiciant, atque amoveant quidquid illam ad vivum exhibet; qua in re adeo felices eorum conatus exiſtunt, ut omnes fere ad mortem perveniant, quin umquam de illa ſedulo cogitaverint. *Ibidem*.

Omnes quibus aliquis chriſtianitatis ſenſus eſt, mortis cogitatione commoventur.

Nemo eſt, qui ſine tumultu illud audire valeat imperium, quo Iſaias Propheta *c.* 38. Dei nomine Ezechiæ Regi præcepit, ut res ſuas ordinaret, ſeque morti diſponeret: *Diſponi domui tuæ* &c. Mortis imago, cum prope eſt, & certa, fortiſſimum quemlibet agitat: cumque nuntiatur alicui, cui breve admodum vitæ ſupereſt ſpatium, difficilius eſt in eo mortis moderari metum, quam illum ad mortem cogitandam impellere. In hujuſmodi occaſionibus quiſque ſe agitur, urgetque, non ſolum ut domus ſuæ, verum etiam conſcientiæ negotia diſponat. Impii quoque commoventur, neque audent mortis periculum ſubire, quomodo vixerunt; tutiuſque putant, eo meliori, quo poſſunt, modo actus Religionis obire, quos viventes neglexerant. *Ibidem cap.* 2.

Diſcrimen inter fortes ſæculi, & ignavos chriſtianos circa mortem.

Ut mortem metuas, ſatis eſt aliquem videre morientem. Verum quodnam judicium de illis ferendum eſt, qui contemnunt eam, ac nullo ejuſdem metu commoveri videntur? Magnum hic diſcrimen conſiderandum eſt: apud eos qui ſecundum mundum fortes ſunt, mortis contemptus, atque oblivio fortitudinis, & conſtantiæ indicium eſt; ſed apud Chriſtianos, oblivio iſta, & contemptus, quem plerique teſtantur, ut plurimum ignaviæ eſt illorum indicium. Mundi fortes occurrunt morti, illi inſultant, eam provocant; ſingulari quippe ſibi virtuti, gloriæque vertunt ejus periculo non moveri. Ideo ab animo ſuo procul amovent cogitationem mortis, & periculi, quod ipſis impendere videtur; eaque oblivio facit, ut ſui curam non gerant, ut audacter periculoſis occurrant occaſionibus, ut in confertas telorum acies irruant, ut juſſi quolibet advolent. Quædam gloriæ ebrietas menti eorum nubem offundit, efficitque, ut periculum minime agnoſcant. Hoc autem in Chriſtianis non accidit: oblivio mortis eorum oſtendit ignaviam. Alii propter mollitiem mortem non audent cogitare; ſola mortis umbra eos terret, ſolumque illius nomen imbelles animas ſternit. Alii ea, quæ mortem ſubſecutura ſunt, non conſiderantes nihil timent, quiaquid de ſe futurum ſit, minime cogitant: *Nihil timent, quia nihil vident*, quidam S. Pater ait: voluptatibus abditi, brutis ſimiles facti ſunt, atque hac in re mente, ſenſuque carentes. Et profecto ſi utriſque præſens hæc animo obverſaretur cogitatio, næ illi quidam æternam metuerent calamitatem, quæ poſt mortem eos manet. *P. Gegon tractatu de præparatione ad mortem*.

Chriſtiani, qui mortem non cogitant, ſunt inexcuſabiles.

Si mors malum eſſet, quod vel ignotum foret, vel raro, & quibuſdam dumtaxat temporibus, aut perſonis accideret; ſi malum eſſet a nobis remotum, quod poſſet evitari, vel quod nullus moleſtus ſubſequeretur eventus, excuſari poſſent, qui illud minime cogitarent: ſed res ſe longe aliter habet, Mors adeo commune malum eſt, ut omnes ſenſus noſtros afficiat; adeo frequens, ut quotidie nova oculis noſtra incidant ejus ſpectacula; adeo nobis proximum, ut illius in nobiſmetipſis principia inveniamus; adeo inevitabile, ut nulla magnitudo, nulla potentia, dignitas nulla, opes nullæ illi reſiſtere, ac illud valeant propulſare; adeo propter ea, quæ illud conſequuntur, terribile, ut inde felix, vel infelix noſtra æternitas pendeat. Hoc recogitare intereſt noſtra, attamen in animum inducere non poſſumus, ut illi cogitationes noſtras impendamus. *Idem.*

Sæpe apud chriſtianos de morte loquendum eſt, ut ejuſdem meminerint.

Miniſtri Domini populis ſæpe dicere debent, quod dictum fuit Jeſu Chriſto ad Lazari tumulum accedenti: *Veni, & vide.* Venite, & videte; videte oculos clauſos, pallore atro ſuffuſam faciem, hirtos, ſparſoſque crines, flaccidas, cavaſque genas: neque hæc obiter vidiſſe ſufficiat; inſpicite hæc omnia tamquam ſtatum, in quem eritis aliquando redigendi. Hoc ſpectaculum eſt, cujus vos quoque participes eſtis, vos quoque in hanc ſcenam eſtis prodituri. Venite, & videte. At enim animum appellere non poteſtis, ut id cogitetis, meque incuſatis, quod minime parcam eorum mollitiei, a quibus audior, cum eorum oculis adeo tetrum ſpectaculum objiciam: ego autem reſpondeo, vos, ne adeo parum chriſtianam mollitiem offendatis, negligere validiſſimam rationem, quam nobis ſuppeditavit Deus, ſaluti noſtræ conſulendi, eamque ſerio operandi. *Idem.*

Morientis deſcriptio; ſtatus corporis, & animæ ejus.

Satis eſt oculos conjicere in eum, qui jamjam animam efflaturus eſt, ut liqueat quam terribile ſit illud ſpectaculum. Manus, lacertique ejus præ imbecillitate corruunt; pectus oppreſſum ſub pondere pituitæ, qua ſuffocatur, vix ſpiritum valet reciprocare; caput ſe ſuſtinere non poteſt, labia ſpumant, caligant oculi; facies frigido ſudore madet, mortalique pallore ſuffunditur: quidquid ſenſibus accidit, horrorem inſpirat. Attamen quod extrinſecus videtur, levis imago eſt eorum, quæ reprobi peccatori anima intus incipit experiri. Videt illa inevitabilem ejus mortis neceſſitatem, quæ neque vi ſuperari, neque lacrymis flecti, neque totius artis medicæ ope eludi poteſt. Illam appropinquantem videt, quemadmodum ſons erigi videt patibulum, cui ſuffigendus eſt. Egreſſio ex hoc mundo horrorem illi ciet, tranſitus de tempore ad æternitem dolore illum afficit, atque hæc omnia illum mortali replet formidine, quæ nullum admittere poteſt ſolatium, *Idem.*

Mortis oblivio efficit, ut terræ hujus bonis adhæreamus.

Mortis oblivio homines cupidos efficit, inexaturabiles, hæreditatibus acquirendis intentos. De hoc ſapiens quidam Ethnicus jampridem conqueſtus eſt: *Tamquam mortales vivimus, tamquam immortales concupiſcimus.* Vivimus, ac timemus tamquam morituri, vel ſingulis momentis morte abripiendi; ut deſideramus, perinde ac immortales eſſemus: bona bonis accumulamus, domos domibus; hæreditates hæreditatibus, tamquam numquam moriendum nobis eſſet: quæ cæcitas! quæ oblivio! Nobiſmetipſis conſentiamus, & hanc auferamus contradictionem. Si tanto ardore vitæ bona congerimus, ne negligamus curam hujus vitæ tuendæ ea tantum bona colligentes, quæ illi eſſe poſſint utilia; noſmet conſideremus tamquam homines duobus digitis a ſepulcro diſtantes, & ignorantes, ad quos hæreditates iſtæ tranſituræ ſint, ac ſeipſos tamquam victimas morte quam primum immolandas conſiderantes. *Sermo manuſcriptus.*

Vulgo mors occupat incautos.

Nihil in morte magis metuendum eſt, quam ne incauti ab eadem occupemur; attamen nihil hoc vulgatius eſt. Ideo illam nobis exhibent Biblia vel tamquam furem noctu expilantem eos, qui in aurem vertunt utramque, vel tamquam dominum famulos reditus ſui momenta celantem; vel tamquam eſcam, quam piſcator tendit piſci deglutienti illam, qui fluminis vi ſe trahi magno cum impetu ſentit; modo tamquam diluvium repente ingruens, & ſolidiſſimas ædes proſternens. Quorſum iſtuc? Ut admoneant, nos morte iri occupatum, niſi ad id animum adverterimus; inertem, otioſamque vitam ſenſim nos ad mortem adducere, vigilantiam ad id omnino eſſe neceſſariam, alioquin filium hominis venturum, ubi minus cogitabimus, noſque in negligentia noſtra occupaturum; ac nos, qui illum non expectaviſſemus, miſere morituros. *Idem.*

In morte affectiones noſtras tantum odimus, quantum in vita illis obtemperavimus. Mors, ut ita dicam, affectionum ſepulcrum eſt, & mortis cogitatio earumdem medicina. Hæ nullas habent amplius vires cum ſpectantur ſolum veluti dolori, & pœnitentiæ origines. In morte non aliter conſiderantur, & nemo intelligere poteſt, quomodo aliter conſiderari potuerint. Reſtat ne in morte ullum chimæricarum idearum, quæ in vita habebantur, & aſſertæ felicitatis, quam mundus ſectatoribus ſuis pollicebatur, veſtium? Hæc ſeſe provehendi, ac locupletandi immenſa deſideria in hac rerum omnium univerſali privatione perſeverant? Reſtatne ſaltem ſuavis memoria earum rerum, quæ ambitioni noſtræ velificatæ ſunt, & cupiditati ſatisfecerunt? *P. Croiſet tomo 2. ſpiritualium conſiderationum.*

Horribilis corporum noſtrorum in ſepulcro ſtatus poſt mortem.

Ingrediamur ipſi ſepulcrum, & ſpectatores facti eorum, quæ ibi contingunt, illorum Jobi c. 17. verborum intelligentiam aſſequemur: *Putredini dixi, pater meus es; mater mea, & ſoror mea vermibus.* Quinam ſermo ad vivum repræſentare poteſt ea, quæ propriis oculis intuebimini? Statim ac corpus, quod adeo ſpecioſum, validumque erat, in tumulo clauditur, miram gignit vermium, aliorumque inſectorum copiam, quæ in hoc nata cadavere incipiunt iiſdem carnibus ali, ex quibus prodierunt. Alia videretis oculos devorantia, alia ex naribus profluentia, alia per os deambulantia, alia per apertum pectus ultro citroque introeuntia, & egredientia. Interim ex capite crines decidunt, nares, labia, genæ in fruſta dilabuntur; jam nihil eſt aliud, quam ſterquilinium, cloaca, & horribilis tabi, putrediniſque congeries. Vermes demum toto abſumpto cadavere, ſe invicem fame acti conficiunt, abſumunt: neque reſtat aliquid præter horridum ſcelerus, qui paulatim more laborantis ædificii labitur, donec tandem omnia abierint in pulverem. Hic finis eſt omnis formæ, omnium voluptatum, omnium hujus vitæ deliciarum. Corpus hoc adeo opipare innutritum, corpus hoc tanta cura exornatum, cui molles ſternuntur culcitræ, quod tanta ſollicitudine a frigore, & calore protegitur; ecce quonam aliquando corpus hoc redigetur. *P. de la Colombiere.*

Mors de rerum omnium vanitate nos perſuadet.

Filii hominum uſquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Fierine poteſt, ut nulla res vobis mortis memoriam revocet? Fierine poteſt, ne mortis memoria vos a terrenis rebus avellat? O Terræ principes, mundani divites! ecce quo magnitudo, & divitiæ veſtræ brevi redigentur; ad ſimplex videlicet linteum, ad ſex terræ pedes, ad terribilem corruptionem, ad celerem, æternamque oblivionem. Hoc omnibus majoribus, hoc omnibus prædeceſſoribus accidit veſtris. Eorum plures fortaſſe iis in ædibus vixerunt, & mortui ſunt, ubi vos habitatis, eodemque in cubili, ubi quotidie dormitis. Vos illos ſequemini, aliique vos ſexcenti ſequentur. Intra paucos fortaſſe dies videbimini in ſandapila compoſiti, ut qui veſtrum intuebuntur cadaver, terrenarum rerum vanitatem meditentur, veſtroque erudiantur exemplo hæc, quæ vos amaſtis, contemnere. *Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Idem.*

Deus terrorem Principibus incutit mortem illis minitatus.

Terribili, & ei, qui aufert ſpiritum Principum. Pſalm. 75. Licet Deus non aliam in homines poteſtatem haberet, quam illis vitam auferendi, hac una re quantum ſummis, principibuſque viris terrorem incuteret? Hoc oſtendit experientia. Ezechias Rex erat dives, & potens. Deus ad illum mittit Iſaiam Prophetam, a quo mors ipſi nuntiaretur. Quas effudit hic lacrymas, quæ ſuſpiria? *Flevit Ezechias fletu magno.* Iſai. 38. Rex Achab quamvis impius, ſceleſtus, & idololatra, propheta eodem ſibi mortem minitante, ſcidit veſtimenta ſua, & ad pœnitentiam confugit; & Sardanapalus Regum omnium voluptuoſiſſimus, & effeminatiſſimus quomodo immutatus eſt Jona Ninive Metropolis Regni ejuſdem everſionem portendente! *Auctor Anonymus.*

Homines mortem non cogitant niſi tamquam objectum remotum.

Quantumvis terribile ſit objectum aliquod, hoc vulgo afficimur parum, ubi illud tamquam remotum ſpectamus; ſpiritus enim ſeſe longo hic applicans intervallo, quo ab eo ſeparamur, magis gaudet quia tandiu ſe hoc malo cariturum putat, quam mœreat timens malum, quod poſt hujus boni perfruitionem eſt ſubſecuturum. Ad hæc exiſtimamus non defuturum tempus hæc mala cogitandi, cum prope aderunt, ac interim fruendum eſſe ea tranquillitate, quam tempus permittit. Hoc vero potiſſimum fit de morte. Nemo unus mori vellet, quominus antea ſedulo mortem recogitaſſet; at omnes ſupponunt, ſe aliquando cogitaturos, cogitandique tempus non defuturum, ac interim fallaci hac freti ſpe de morte minime cogitant. Dæmon non dicit amplius hominibus, quod olim progenitoribus noſtris, *nequaquam moriemini*; tentatio hæc nimis eſſet aperta, & neminem falleret; ſed illis dicit, non tam cito moriemini. Longum adhuc vitæ supereſſe ſpatium ſuadet, & ita omnes fere mortales fallit. Invenit enim in hominum cordibus quamdam facilitatem, qua ſibi inani hæc ſpe verba dari patiuntur, optantes diutius, atque pacatius ſenſibilibus rebus gaudere, quibus adhæreſcunt. *Eſſais de Morale.*

Homines terrenarum rerum amore capti, ſpem concipiunt, ſe nequaquam tam cito morituros, cum nullum habeant hoc ſperandi locum. Quamvis quotidianis erudiantur exemplis eorum, quos mors occupat, vel conſiderare nolunt, hoc ipſum ſibi contingere poſſe, vel falſo, ac temere ſupponunt ſe ex horum miſerorum numero non futuros, atque ita ſibi nubem efformantes, qua prohibentur videre periculum, quod omnibus ſibi momentis imminet, pergunt ſuas ſequi affectiones, quin mortis periculo deterreantur . . . . Pericula hæc illi contemnunt, cum ea palam videant, ſed e contra nihil intentatum relinquunt, ut eorum ſibi auferant intuitum. Ut hac illuſione liberentur, conſiderent ſerio, ſatis eſt, vitam non minus pro nobis, quam pro aliis incertam eſſe, & nos iiſdem obnoxios eſſe periculis. *Ibidem c. 4.*

Aliud eſt mortem cogitare veluti remotam, & proximam.

Quam funeſtum eſt ſeſe mortis doloribus circumſeptum videre, ac repente oculos iis aperire objectis, a quibus ſemper fuerant avocati, & conſcientiam ſuam ſceleribus onuſtam invenire! Qui præ cæteris mortis meditationibus vacarunt, fatentur infinitum eſſe diſcrimen; illam vel eminus, cominuſve intuearis. Fortiſſimus quiſque commovetur, ubi hoc in ſtatu reperitur. Quinam igitur erunt tumultus infelicis animæ, quæ cum toto vitæ ſuæ ſpatio iis rebus vacaverit, unde ſolatium, & oblectationem percipere poterat, repente videt mortem, & quæ hanc conſequuntur, judicium videlicet, & infernum. *Ibidem c. 5.*

Dolor morientis, qui relinquere cogitur ea, quæ in vita dilexit.

Quiſnam concipere poteſt animæ mundanæ ſtatum, quam mors ab omnibus amorum, & voluptatum ipſius objectis avellit, & quæ nihil invenit, cui innitatur? Propenſio illa, quam habet ad amandum, & fruendum eo, quod amat, ſine ulla comparatione acrior fit, & ardentior; attamen quidquid amat, ab ea dilabitur, æternamque fugam capeſſit, quia ulla ſpes reliqua ſit illius iterum poſſidendi. Amittit omnia, & nihil invenit. Omnia abeunt, diſſipantur, evaneſcunt. Ut aliqua hujus rei adſtruatur idea, hoc unum dici poteſt; terribilem eſſe animæ lapſum propter ſubtractionem rerum earum, quibus innitebatur; infinitum eſſe vacuum propter annihilationem rerum omnium, quibus replebatur; miſerrimam eſſe pauperiem propter integram omnium bonorum jacturam; horribilem ſolitudinem eſſe propter ſeparationem a qualibet unione, & ſocietate; terribilem eſſe deſolationem propter conſolationum omnium defectum; crudelem eſſe lanienam propter acerbiſſimam omnium affectuum ſuorum fracturam. *Ibidem c. 7.*

Nunc eædem, quæ in morte cogitationes habendæ ſunt.

Quis noſter erit ſtatus cum una, vel duæ ad vivendum ſupererunt horæ, atque menti noſtræ occurret, poſt duas horas nullum mihi ſupererit pœnitentiæ ſpatium, Divinæ miſericordiæ janua mihi erit intercluſa? Heu! cur eædem cogitationes in præſentiarum non eamdem in nobis impreſſionem efficiunt? Etenim nonne ſemper verum eſt, fortaſſe poſt unius horæ ſpatium, fortaſſe poſt annum, poſt biennium, & certe poſt aliquem annorum numerum vitæ noſtræ tempus iri abſolutum? Numquid hoc fortaſſe, & breve hoc temporis ſpatium tantam in nobis habet differentiam? Diſcrimen inter finitas tantum magnitudines varium eſt; ſed finiti ad infinitum idem eſt ſemper. Igitur momentum hoc ſemper cum eadem formidine reſpiciendum eſt, ſive una diſtet hora, ſive die uno, vel pluribus annis, eædem habendæ ſunt cogitationes, quas tunc temporis habebimus. *Idem. c. 10.*

Non ſufficit ſterilis cogitatio, vel metus mortis.

Non ſufficit nobis mortem duntaxat cogitare, ſterilemque timorem concipere, quem nullus ſubſequatur effectus: cogitemus, quidnam tunc feciſſe cuperemus; quam vitæ rationem ſuſciperemus, ſi iterum nobis eſſet reviviſcendum; quænam pietatis exercitia nobis præſcriberemus, ſi nobis optio relinqueretur iterum tempus inſumendi; judicia, quæ tunc de tranſacta a nobis vita ferremus, & ſaltem de ea, quæ nobis supereſt, parte diſponamus ſecundum ea conſilia, quæ tunc iniremus. *Ibidem.*

Cum voluptate contemplare oportet rapidum hunc torrentem, qui in nihilum rapit ea omnia, quæ tempori obnoxia ſunt: *Momentis tranſvolantibus cuncta rapiuntur, torrens rerum fluit* . . . . omnia prætereunt, nihil temporale ſubſiſtit. Dicamus ergo, donec cum utilitate dicere licet, omnia abeunt, ne aliquando ſine fructu dicamus, omnia abierunt. *Modo fructuoſe dicamus, tranſeunt; ne tunc dicamus infructuoſe, tranſierunt*: Auguſtin. in Pſ. 31. Dicamus iis omnibus, quæ nobis placent, noſque palpant in mundo, ut ea contemnamus. Dicamus iis, quæ dura, ac terribilia videntur, ne ea metuamus. Quidquid ab oculis noſtris evaneſcit, omnes mutationes, quarum teſtes ſumus, ætates omnes, per quas traducimur, omnes vitæ noſtræ partes, quæ defluunt indeſinenter, in nobis jugiter hanc memoriam inſtaurent, omnia deſinere, ac nos quoque adeo procul a noſtro fine abeſſe, ut pro nihilo ſit nobis habendum breve illud intervallum, quo ab æternitate dividimur. *Ibidem.*

Mortis cogitatio affectus noſtros extinguit.

Nihil aptius eſt ad fallaces ideas, quas cupiditas producit, ab animo amovendas, quam cogitatio mortis, & eorum quæ illam ſunt ſubſecutura. Affectus omnes coram hoc objecto evaneſcere videntur, & per hoc quidquid in nobis eſt rationis, luminis, fortitudinis excitari. Apertius videntur quæ facienda ſunt, ac tutius, purioribuſque, & ab omni humana ratione expeditioribus intentionibus adimplelur. *Ibidem.*

Da mihi auſpicatiſſimam feliciſſimorum hominum vitam iis omnibus præditam bonis, quæ ejuſdem fulgorem, ornatum, ac delicias efficiunt; valetudine, viribus, proſperitate, potentia, opibus, voluptate, auctoritate, ſceptris, coronis. Hæc proculdubio ſpecioſa eſt, at ſimilis fragili vitro, quod poteſt decidere, ac in ſingula momenta comminui. Quamquam omnes adhibeantur curæ ad hanc vitam tuendam; illa nihilominus ex ſe teritur uſu, & ſingulis diebus ad finem accedens diu permanere non poteſt. Hac de cauſa tenuis res eſt, omniaque ejus bona ſunt contemnenda, ut quæ æterna ſunt, tantummodo habeantur in pretio. *Maimbourg Sermone pro feria quinta poſt quartam Quadrageſimæ Dominicam.*

Mors præſto eſt, ut ſingulis momentis vitam nobis eripiat.

Mors quæ nobis omnia vitæ eripit bona, ſemper eſt præſto, ut in ſingula momenta illa nobis eripiat, quin hoc momentum ſciamus; etenim omni tempore, omni in loco, ac ſexcentis modis emori poſſumus, quod conſtat ex illo, quem Salvator a mortuis ſuſcitavit, & qui erat adhuc in flore primæ adoleſcentiæ. Nihilominus moritur in florentiſſimo hoc vitæ ſuæ ſtatu, cum longiſſime ab obitu diſtare videtur. Sicarius iſte per ſexcentos irruere aditus poteſt; ſagittarius hic ſemper arcum tendit jaculando paratus, quin ictu falli umquam poſſit; venator hic habet retia ſemper diſpoſita ad aves capiendas; & fur iſte ſemper eſt præſto, ut ne opinantibus quidem ſurripiat. Ita Spiritus ſanctus in utroque teſtamento hanc exprimit veritatem; quam ſi rite intelligeremus, vitæ hujus bona, quæ ſingulis momentis amittere poſſumus, numquam eſſent in cauſa, quod vel unicum momentum eo in ſtatu permaneremus, quo mors nobis eſſet moleſta. Adde his illam ſuum vulnus inferre uno tantum momento pro tota æternitate. Semel poſſumus mori; quia in omnem morimur æternitatem; nullus eſt reditus ad mortem, quemadmodum in vitam nullus eſt; ideoque primæ mortis defectus altera meliori nequaquam corrigi poſſunt. *Idem.*

Mors conſideranda eſt, uti proxima, non autem uti remota.

Hominum plerique mortem conſiderant tamquam perſpectivæ artis umbris delineatam, quæ efficiunt, ut quod proximum eſt, remotiſſimum videatur. Nullus eſt adeo capularis ſenex, qui annum ſaltem vitæ ſibi supereſſe non credat. Sed nos ut errore liberet, Scriptura de vita noſtra loquitur tamquam de torrente, nube, vapore, umbra, ſomno. Non ſolum inceſſanter ad mortem currimus; ſed etiam verum eſt dicere, incipientes vivere incipere mori; primum corporalis noſtræ vitæ momentum primum eſſe momentum mortis; vivere non aliud eſſe, quam aſſidue mori, & mortem vocari momentum extremum, quod ſimul, & vitæ, & morti finem imponit. Infiniti extra ordinem caſus tempus prævertunt, & hoc momentum accelerant; anni temporum intemperies, tabidus aer, corpus, quod lapſu ſuo nos conterit, incendium, quod abſumit, aquæ exundatio, quæ ingruit, & nos deglutit. Mors omni nos expectat in loco, omnibus temporibus, ætatibus occupat. Anima igitur in manibus ſemper gerenda eſt, ut eam Creatori, quocumque tempore exquiſiverit illam, reddamus. *Ex libro Pater Craſſet de Conſolatione contra terrores mortis.*

Mors nobis frequentiſſime verſatur ob oculos, & illius ſæpiſſime obliviſcimur.

Mortis cogitatio adeo ſalubris eſt, ut voluerit Deus vivam illius imaginem nobis per ipſam vitam exhiberi: ea, quæ videmus, quæ audimus, quæ nobis eſſe debent in cibum, mortis præſentiam nobis revocare, atque ſeria meditatione in ſtatum adducere, fructus inde colligendi. Accidit tamen, quod inevitabilis hæc moriendi neceſſitas facillime traditur oblivioni. Quod adeo verum eſt, ut iidem juſti ut plurimum ad id animum non advertant, quamvis humilis, ac vigilantis fidei non minimus effectus ſit, hanc fovere cogitationem quantumvis utiliſſimam, & neceſſariam; quod procedit ex quadam amoris proprii reliquia, quem